J. G. Smolderen
1211
2

EEK GENT

Q. Hist. 1900
37272
Q. H310.

MANIPULUS
CONFLUENTINARUM
MEMORABILIUM RERUM
EX
HONTHEMIANIS
AC
BROWERIANIS
POTISSIMUM ARVIS
SEDULA ET ATTENTA MANU
CONGESTUS;
AC
DIVINO PRÆPRIMIS NOMINI
TREVERICÆ
DEIN
HISTORIÆ CULTORIBUS
DICATUS ET OBLATUS.

PER F. HIEROTHEUM
à Confluentiâ Minoritam Capucinum.

Superiorum Permissu.

LUXEMBURGI,
Apud Joannem Baptistam Kleber, Typographum ejusdem Civitatis & Collegii Societatis JESU. Anno 1753.



GAudent Patriâ ipſi quoque Dii, ac univerſas res humanas, ùt par eſt, intuentur, rati univerſam terram & mare ſuam eſſe poſſeſſionem; in quâ tamen quiſque eorum natus eſt, illam reliquis omnibus Urbibus anteponit: Jam ſi Patriæ nomen Diis eſt in pretio, quî non longè magis hominibus? *Lucianus apud Janum Gruterum in Florilegio magno v. Patria.*

PRÆFATIO.

SUMMUS veterum Romanorum Sacerdos res quotannis à Senatu, Populóve geſtas, aut à foris iiſdem allapſas, non tam ornatè, quàm breviter ac limpidè literis mandare, ſtatóque tempore palam Populo facere, inter præcipua Præfecturæ ſuæ gerebat; quatenus quæ ad rem publicam fecerant, aut eidem offecerant, in memoria publica cùm ad ſequelam, tum ad cautelam eò firmius conſervarentur: Politia certè ab ipſiſmet Diis inventa ac inſpirata terrigenis, proindéque digna, quam ſacramento colant, quotquot Rempublicam curant! Interim verò cùm ætas poſtera hoc à priſcorum more ſtudióque frequenter recedere, ac Virorum præclariſſimorum merita, rerúmque publicarum memorias ſuis ſolùm in Chartophylaciis, ac in Curiarum ſuarum adytis non tam attollere, quàm tumulare ſit viſa, Superis

faventibus ac disponentibus accidit, quod quandoque novi Romulides, literati nimirum ac graves, patriámque gloriam, & publicam salutem zelantes viri, diligenter ac operosè in apricum produxerint, quæ in secretioribus scriniis inter arrodentes tineas, aut inter operimenta pulverum vel jam consenuerant, vel posthac consenuissent.

Hos verò inter Luciferos, si eos quoad nostra spectemus, Principem sibi vendicant locum Illustrissimus HONTHEMIUS; *Episcopus Myriophitanus, & Archi-Episcopi Trevirensis Suffraganeus: ac Christophorus Browerus, non vulgare Societatis* JESU, *& Orbis literati decus: Hic author est vastissimi, celebratissimi, ac in duos Tomos partiti operis, cui titulus;* Antiquitates & Annales Trevirenses: *Iste Historiam Trevirensem Diplomaticam & Pragmaticam in tribus grandioribus Tomis eleganter digessit, ac novissimè juris publici fecit; indéque sicut Browerus in Hemisphærio nostro Sol oriens, ita Ipse meridianus & audit, & est; utpotè qui elaboratissimis Dissertationibus, clarissimis Notis ac Glossis, gravissimis quoque ac copiosè productis Chartarum publicarum, aliorúmque insignium monumentorum momentis & authoritatibus, Reipublicæ literariæ luminis plenitudinem dedit; ambo me-*

hercule digni in illorum album referri, de quibus Scriptura Eccli. 44. In generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus.

Hujus ſtàque duplicati Solis tum luce perſtrictus, tum & ardore ſuccenſus amor, quo religiosè in Patriam feror, faciliter mihi perſuaſit (*: Honthemiana profero :*) dignum eſſe Cive facinus, quæ in natali ſolo ante nos geſta ſunt, ſtudioſo oculo requirere, & noſtris aliorúmque uſibus in unum veluti acervum colligere; *talíque formatus & ſtimulatus conſilio ſubſecivas quaſdam horas Patriæ Civitati dicare, veteráque cum recentibus, quæ quoquo modo ad ejuſdem fundamenta, incrementa, ornamenta, emolumenta, nocumenta, & documenta concurriſſe notabam, ſtudiosâ manu colligere, in ordinem redigere, chartæque mandare conſtitui, ad eum ferè modum, quo quondam res Romanorum per Pontificem Maximum in tabulas referebantur, dilucidè nimirum, breviter, ac ſine ampullantis Rhetoricæ typho : & brevitatem quidem quod attinet, ſi hæc forſitan minus aptè ad rem facere, aut prætermiſſorum videatur & appelletur hinc inde rea, Liber Paralipomenon, rogo, conficiatur ab illo, cui plus libertatis, authoritatis, ac æris eſt, quàm pauperi ac humili Mona-*

cho, ceu de quo conſtat, quod citiùs & faciliùs Jovis diphtheram, quàm Secularium Curiarum ſcrinia inſpicere, aut perveſtigare ſinatur, quódque inſuper, prout vult, ſemper agere, ſive ſcribere nec poſſit, nec auſit.

Ceterùm, quia Confluentia minor Suburbium majoris à Majoribus noſtris eſt habita; cúmque Arx Ehrenbreitſteiniana ad ipſam ceu præcipuum propugnaculum ſpectet; ſplendor quoque Ehrenbreitſteiniana Vallis ultra Rhenum diffuſus, ſitum ſeu diſtrictum ejus ſpectabilem magis, ac conſpicuum reddat, hinc & de his breviter agendum erat: quatenus ſingula, quæ Confluentiam non ſolùm in- ſed & exterius propioribus modis contingunt, huic noſtro Manipulo inſerta comperirentur; cujus ſpicæ quæ ſint, in ſequenti Serie, ceu in quopiam anteceſſu, monſtramus: ſimúlque ingenio, quod fœcundius ac facilius eſt noſtro, aperimus campum, aliquando de Confluentiæ rebus, quas hic compendium arctat, & ſtringit, calamo fuſiore tractandi; quo facto, & noſtræ Patriæ, quod ejus merita poſcunt, & nobis, quod cupimus, obtigiſſe dicemus, Deum interim enixè rogantes, ut, quidquid in hoc modico Lectoris benevolentiæ ſiſtimus, ad majorem ſuam gloriam dirigere, ac elevare dignetur.

SINGULÆ MANIPULI NOSTRI SPICÆ.

I.

Confluentiæ primordia, & accrementa.

II.

Prima & postera ejus Fides.

III.

Sæculares illius Principes.

IV.

Ejusdem Principes Ecclesiastici.

V.

Horum apud Confluentes regalia.

VI.

Leges per hos Confluentibus datæ.

VII.

Confluentinorum Privilegia.

VIII.

Ecclesiastica illorum Curia.

IX.

Ecclesia S. Florini.

X.

Ecclesia S. Castoris.

XI.

Ecclesia B. Mariæ Virginis.

XII.

Hospitale Pauperum.

XIII.

Domus Teutonica.

XIV.

Seminarium Clericale.

XV.

Mons S. Beati.

XVI.

Regularium Domus & Ecclesiæ.

XVII.

Sanctorum Reliquiæ.

XVIII.

Curia Civica.

XIX.

Gymnaſium.

XX.

Confluentiæ Mœnia & Munimenta.

XXI.

Ambo illius Pontes.

XXII.

Publici in ea celebrati Conventus.

XXIII.

Auguſti ac Regii illius Hoſpites.

XXIV.

Hoſpites Sancti.

XXV.

Viri illuſtres ibidem ſepulti.

XXVI.

Viri inſignes ibidem nati.

XXVII.

Infauſti ejuſdem caſus.

XXVIII.

Confluentia parva.

XXIX.

Arx Ehrenbreitſteiniana.

XXX.

Vallis Ehrenbreitſteiniana.

CAPUT I.

De Confluentiæ Primordiis, & Accrementis.

CONFLUENTIAM ab incunabulis ad provectam usque ætatem ante oculos curiosi posteri curatius collocaturi, præsignificamus 1*mò*. quod in Europæ nostræ infantia, prout Tacitus *de Mor. Germ. cap. 28*. refert, quæque gens, ùt evaluerat, cæperit deserere veteres, ac inquirere sedes novas; hæ siquidem Regum tunc, Regnorúmque potentiâ nec divisæ, nec distributæ, sed promiscuæ, indefinitæ, primorúmque occupantium, vel viribus prævalentium erant.

2*dò*. Quod trans-Rhenani, sive Magnæ Germaniæ populi gentem suam in dies crescere, terrámque patriam alendæ illi minùs parem ex-

perti, exploratâ cis-Rhenenſium Regionum pinguedine, in iiſdem ſibi ſedes, Flumine ſuperato, delegerint, teſte Julio Cæſare *de Bello Gall. Lib. 2. cap. 4.*

3tiò. Quod ex iis, quæ Tacitus *de Mor. Ger. cap. 28.* refert. *Treviri circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam ſanguinis à ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.* Item ex iis, quæ apud Strabonem *lib. 4. Geogr.* leguntur. *Treviris cohærent Nervii, qui ETIAM natione Germani ſunt.* Quod, inquam, ex his liceat prorſus tutò concludere; Treviros ab origine ſua Germanos, non Aſſyrios eſſe, nec à profugo Trebeta (: *Vide Brower um in Annal. Trevir. Proparaſ. cap. 6.* :) ſed ab Alemannis ſuum nomen ſumpſiſſe: quod & Illuſtr. Honthemius *in Hiſt. Diplom. Trevir. to. 1. pag. 1.* confirmat, dum ait; Germanos nobis, & Urbi ab ipſis conditæ, aut certè inſigniter auctæ, nomen Trevirorum dediſſe: quibus ſubdimus, nomen hoc vel ex mero eorundem placito, vel inde ſuum ortum habere, quod non pauci horum emigrantium, Rhenúmque tranſeuntium Alemannorum populi eo vel corporis vel animi, vel utriuſque ſimul claruerint robore, ut longè anteceſſerint cæteros, & quivis eorum tres quodammodo viros agere, vincere, vel æquare valuerit, proindéque ſicut habiti, ita & dicti ſint Treviri, id eſt, inſigniter cæteris animóque corporéque præſtantes: olim námque *tre.* ùt Bayer in Lexico tradit, idem erat, quod tria; ſed & hodiedum libra-

mentum trium ponderum nuncupamus *trepondo.*

Præſignificamus 4*tò*. Quod tempus, quo dictæ trans-Rhenanæ gentes cis Rhenum, Germaniæ tunc Galliæque limitem, primas ſib ſedes fixerunt; denſiſſimis involutum ſit tenebris, indéque Browerus *in Proparaſ. pag. 21. num. 5.* rectiſſimè dixerit: *gentium origines, & commigrationes difficultatibus iis ſunt implicatæ, ut & doctiſſimi & antiquiſſimi Scriptores, eas inveniri poſſe, & velut à capite uſque repeti, non ſine magna ratione negârint.*

Præſignificamus denique. Quod, ſi de hac rerum, temporúmque caligine diebus noſtris ſit danda relatio, ſeu adornanda hiſtoria, hæc à gnaro & diſcreto æſtimatore rerum appendi petat ad trutinam pragmaticæ hujus Regulæ. *In antiquis tam exacta probatio non requiritur, ſed ſufficiunt adminicula, aliáque argumenta, quæ in novis non efficerent probationem plenam. in Arg. cap. 13. X. de Probat.* quod & Strabonem ſenſiſſe, liquet ex iis, quæ ex ipſo Browerus *in Proparaſ. pag. 20. num. 5.* adducit, prudentem nempe conjecturam de taliſmodi rebus ſufficere. Quibus præmiſſis, hiſtoriæ noſtræ hæc initia ſunto.

Germani, qui primi commigrârunt trans Rhenum, Confluentiæ fundamenta locârunt. Ratio eſt: quia gentes hæ in maximo numero deſeruiſſe ſolum patrium, ac ſedes ſibi delegiſſe cis Rhenum, liquet ex præcitatis graviſſimis teſtibus, nec non ex iis, quæ Browerus *in Proparaſ. cap. 8.* ex Seneca refert: at verò nec

veriſimile, nec poſſibile quis dicet, quod omnis hic populus ſimul conſederit, ſimúlque perſtiterit in uno Gallicæ regionis loco, ſive in unica & ſola valle, quam nunc occupat Trevirorum Auguſta: ergo tenendum, quod emigrantes hæ gentes ab invicem vel voluntate, vel neceſſitate fuerint ſejunctæ, párſque ibi, pars alibi ſibi ſedes & habitacula ſtruxerint; ubi nimirum terræ, aëríſque benignitas intenta ab ipſis commoda, nutrimenta, & accrementa ſpondebat: hæc autem cùm Confluentinæ Regionis amœnitas, Soli fertilitas, Cœli ſalubritas, quin & ipſe Rheni, Moſellæque confluxus patenter ipſis, & affluenter promiſerint, quis ambigat, quin Confluentium ripa à nonnullis earundem gentium vel in primo trans Rhenum itu, vel non longè poſt fuerit initiata Colonia?

Confirmantur hæc ex Georgii Bruin Agrippinatis *Libro 2. de univerſis Urbibus*, ubi de Confluentia diſſerens, eam ideo inter antiquiſſimas Civitates reponit, quod Veteres, ubi fluminum vel amnium reperiebant confluxus, ob confluentia exin commoda, ſedes ibi deligere, ac urbes ædificare conſueverint.

Confirmantur quoque ex Lucii Annæi Flori *Lib. 4. cap. 12.* ubi dicit; quod Druſus Rheni ripam munierit quinquaginta Caſtellis; quódque horum unum ad Confluentium ripas extiterit, aſſeverat Valeſius V. *Confluentes:* Druſum autem anno circiter undecimo ante Chriſtum natum circa Rhenum bella geſſiſſe, conſtat ex Annalibus Browerianis *Lib. 1. num. 139.* Porro de hoc

Druſi caſtro ea quoque veniunt intelligenda, quæ Ammianus Marcellinus *Lib. 16. cap. 3.* refert; *Per hos tractus nullum Caſtellum viſitur, niſi apud Confluentes, locum ita cognominatum, ubi amnis Moſella infunditur Rheno.* Unde Ill. Honthemius in *Hiſtoria Trev. Diplom. tom. 1. pag. 25. num 11.* rectè & meritò de Confluentia ſcribit; quod *præſidiaria olim fuerit Romanorum ſtatio, & arx ſimul adverſus Germaniam magnam ſpeculatoria, in antiquis tabulis geographicis notiſſima*: Rectè quoque Annales Broweriani *Lib. 11. num. 16.* dicunt, res Confluentinas tum ſtatione Romanâ, tum veteris caſtri famâ, tum & alio non ignobili cultu celebres olim & opulentas audîſſe.

Quibus ſingulis animo tum attento, tum & neutram in partem inclinante perpenſis, nemo non faciliter ſentiet, ac inhæſitanter edicet, Confluentiam ante Druſi, quin & ante Cæſaris, aliáque priſca tempora extitiſſe Germanorum coloniam; quæ labentibus annis tot, & tam inſignibus incrementis eſt aucta, ut, ſicut Romani ſuis ipſam præſidiis, & munimentis firmârunt, ita poſteri Reges, ac Cæſares ſuis eam palatiis, placitis quoque, ac conventibus celebrem, nobilémque reddiderint.

Hæc autem ut evidentiora reddantur, præſciendum hìc venit; quod Reges Francorum, & Imperatores Romano-Germanici uſque ad Ludovicum Bavarum, ob quotidiana Regni negotia, Provincias ſingulas crebriùs obire conſueverint; & hinc, quatenus tam ipſis, quàm

eorundem Miſſis commodè in iiſdem ſubſiſtere, Regnóque eò meliùs conſulere, ac invigilare liceret, manſiones ſibi, ſive palatia in locis magis aptis, magíſque opportunis erexerint; quæ dein loca ſicut Villæ regiæ nuncupabantur, ac erant, ita quoque providebantur reditibus congruis, quatenus Aula regia regiè ibidem ſtare, ac in omnibus, ùt par eſt, haberi diſtinguíque valeret: porro civitates & oppida, quæ ad taliſmodi reditus tributarium concurſum præbebant, Curtes regiæ, ſeu Fiſci regii appellabantur: quibus titulis, regiæ nimirum Villæ, regii Pallatii, regiæque Curtis, quod & Confluentia fuerit quondam condecorata, videre eſt *in Hiſt. Trev. Diplom. to. 1. pag. 22. 25. 354.* Cæterùm ſi quæras, quo ergo in loco regia olim Aula conſtiterit? Reſpondendum cenſemus, eminuiſſe eam in ſpatiis, quæ noſtris adhuc temporibus der alte Hoff/ id eſt, Aula vetus dicuntur.

Confluentiâ ſuo ſic in fundamento locatâ, quin & in altum per Reges Cæſaréſque levatâ, exigit nunc hiſtoriæ ſeries, ut &, quo ipſam nomine priſci, moderníque Scriptores compellent, cum Lectore communicemus: à Dithmaro *Chron. lib. 7. pag. 406.* Cophelenci. *in Corp. Trad. Fuld. pag. 179. num. 447.* Cobolence. in quorumdam Archi-Præſulum noſtrorum chartis Covelentz; à priſcis Confluentes; à modernis latinè Confluentia, germanicè nuncupatur Coblentz; quod nomen inditum quoque eſt

Helveto

Helveto cuidam vico, ibi ſito, ubi Arula ſe Rheno commiſcet.

Confluentini veteres, quia Rheni ripam cum cæteris ejuſdem accolis adverſus hoſtes cuſtodiendam, ac defendendam habebant, Ripuarii, non ſub ſolo Francico, ùt vult Browerus *Lib. 7. pag. 362. num. 104.* ſed & ſub Romanorum Imperio prout *Hiſt. Trev. Diplom. to. 1. pag. 12.* veriſimilius ſentit, appellabantur: quin & ipſos ad pagum Trigorium, cujus à fronte Rhenus, ab utroque autem latere Nava & Moſella limites erant, apud priſcam ætatem ſpectâſſe, benè tradit mox *cit. Hiſt. to. 1. pag. 70. §. 20.* dum interim Browerus *Lib. 11. num. 16.* Confluentiam in pago Meifeldenſi, ſive Meginenſi locat, at minus rectè; cum enim utrumque hunc pagum, Trigorium nimirum & Meginenſem, Moſella ſejunxerit, hinc Confluentia non in hoc, ſed in iſto potuit ſuum ſitum habere.

Dixi Confluentiam ad pagum Trigorium à priſcis fuiſſe repoſitam; poſtquam enim civitates & oppida, plurima quoque jura & regalia ex Cæſarum Regúmque munificentia ad Epiſcopos, ad Milites, nec non ad Monachos devoluta fuerunt, nomen quoque Pagorum ita ſenſim intercidit, ut, teſte Mettinghio *de ſtatu Mil. Germ. Sect. 4. pag 206.* à ſæculo duodecimo ad hæc uſque tempora in tabulis publicis nulla amplius eorum mentio, ſeu nominatio fiat: Pagorum itàque numeroſitati, magnitudini, nominìque eveniſſe conſpicimus, quod terreſ-

tria quælibet afficere, tum ab experientia, tum ex divino hoc oraculo novimus; *Non eſt priorum memoria: ſed nec eorum quidem, quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt in noviſſimo.* Eccle. 1.

CAPUT II.

De prima & poſtera Confluentiæ Religione.

NAtâ nunc, quin & adultâ nonnihil Confluentiâ, ad ejus incunabula ſciſcitando revertimur, Deúmne à teneris, Deóſve coluerit? Ad quod tempora illa caliginoſa reponunt; ipſam tum Deos patrios, tum adorâſſe & illos, quibus cæcitas Romana litabat. Liquet id ex ſepulchrali tabula; quæ quondam ibidem repeſta, ac eruta, & nunc in mœnibus juxta ſacram D. Florini Ædem expoſita, Hymenæum duos inter ſponſos ſedentem, ac connubiali eos fide jungentem, nec non ſobolem ex ipſis deinceps genitam exhibet obſcurè, quia per tempus exeſa, clarior autem in ſuo ectypo proſtat apud Broweruin *in Proparaſ. pag. 58. nec non pag. 103. in Notis Maſenianis.*

Erat hæc tenebrarum Principi in Rheni acco-

las permiſſa poteſtas, eâque miſeranter cœcati, quod ex lapide, ligno, & metallo condiderant, votis, hoſtiis, thuríſque cremátione colebant; palabantúrque hac in caligine, uſque dum aurora Chriſtianæ Fidei, agente D. Materno, terris his oboriri eſt viſa: ſub quam quod & Confluentia ab aviis digreſſa ſit in ſemitas rectas, ex Martyrologio Romano ſatis clarè conſequitur; id nàmque dum ad 14*tam* Septembris affirmat, Treviros, Tungros, & Ubios, iiſdémque finitimas gentes æternæ ſalutis ſemina, primam videlicet in Chriſtum fidem, Materno evangelizanti debere, utique Confluentiam, quæ in Treviris, Ubiis verò confinis eſt, unà cum populis aliis in partem hujus debiti trahit: ìdque & per ea confirmari videtur, quæ infra cap. 10. de apparitione D. Materni dicuntur.

Hoc autem Orthodoxiæ donum an Majoribus noſtris in altero Æræ Chriſtianæ ſæculo, an verò ſub finem ſæculi tertii, aut ad initium quarti fuerit de cœlis datum, non eſt idem omnium Scriptorum ſenſus, prout liquet *ex Hiſt. Trevir. Diplom. to. 1. pag. 10. §. 15.* qui cum Browero, La-Guille, Bertholet, Bucherio, cúmque aliis non paucis tenent, D. Maternum in fine ſæculi primi, aut ineunte ſæculo ſecundo apud Ubios, Tungros, ac Treviros Apoſtolatum cum Pontificatu geſſiſſe, ac finitimis populis, atque inter hos Confluentibus, vel per ſe, vel per ſuos Miſſos Fidei rudimenta dediſſe, ſententiæ ſuæ ſuffragantem allegant Benedictum XIV. in Republica literaria verſatiſſimum Pa-

pam : dum enim Is in Martyrologio noviter edito, cui concinnando, præter concurrentem ſelectiſſimorum virorum operam, proprias quoque manus applicuit, inhæret Baronii, veterúmque frequentiſſimo ſenſui, atque D. Maternum inter Diſcipulos Principis Apoſtolorum reponit, tacitè, ac conſequenter affirmat, ipſum vel ſub finem ſæculi primi, vel in ſequentis limine his in terris Chriſti Fidem diſſeminaſſe : quâ tamen authoritate poſthabitâ, Hagiographi Antverpienſes *to.* IV. *Septembris ad* XIV. *ejuſdem menſis*, prænuntiantibus eorundem literis, tenent oppoſitum; quod nempe S. Maternus nec D. Petri Diſcipulus, nec ante ſæculum tertium extiterit Trevirorum Epiſcopus: interim verò ſicut circa hæc non idem, ita facilis eſt omnium ſenſus, Fidei ſemina à D. Materno Confluentiæ ſparſa, deindèque vel à Paganiſmi tyrannide, vel per alias temporum, hominúmve injurias, crebriùs duriúſque preſſa, aut planè fortaſſis extincta, à S. Caſtore, D. Maximini Archi-Epiſcopi Trevirenſis Diſcipulo, circa annum 337. verbo & opere ibidem vel reerecta, vel reſuſcitata fuiſſe. *Videatur Maſenius in Indice Chrono. Hiſt. Trevir. pag. 3. col.* 2.

Cæterùm an & hæreſum aliquando zizania in Confluentinis arvis fuerint vel ſata, vel nata, evidenter non conſtat; inimicum tamen hominem ad annum 1163. illuc illa tuliſſe, atque manus ad ea ſpargenda parâſſe, ominamur ex iis, quæ Browerus *Lib. 14. num. 139.* ſequentibus refert, *Egbertus Schônaugienſis Abbas, ex-*

cellentis eâ tempeſtate ingenii ac doctrinæ vir, hæreticum, Berengarii ſectatorem, Caradonâ, nobili Trevirorum Vico, oriundum, peracuto ac vafro ingenio, & oris volubilitate vel præcipuè promptum, apud Confluentes in publico doctorum hominum conventu, invictis rationum momentis tam feliciter confecit, ut ultrò, perſpectâ clariùs veritate, manus illi daret, ſéque in Eccleſiæ gremium, agnitâ Sacramenti veritate, reciperet.

Prout autem Caradonenſis hic extitit felicior tribus aliis, apud Browerum *lo. cit.* nominatis Berengarii, & Tanchelini ſequacibus, ceu qui Coloniæ Agrippinæ ab eodem Egberto convicti, at non converſi, nec emendati, ſuam ſubinde pertinaciam infamibus flammis luerunt; ita quoque Confluentia, dum hæreſin in ovo contrivit, quoad id Trevirorum Auguſtâ attentior, & felicior fuit: hæc enim ùt Caſparo Oliviano, Jurium Doctori, ac degeneri ſuo civi, concivibus ad annum 1559. clam & palam propinanti Calviniſticum virus, virum gravem opponere diſtulit, multa ſibi pericula, nec pauciora nocumenta concivit, prout Ill. Honthemius *in Hiſt. Trev. Dipl. to. 2. à pag. 783. uſque ad pag. 861.* publicarum tabularum fide Notiſque ſubnexis tam fusè, quàm accuratè deſcribit, ſimùlque commonſtrat: Quod Aurifaber, Lutheri primùm diſcipulus, dein verò Eccleſiæ Orthodoxæ Profeſſor, hæreticum genium coloribus vivis expreſſerit, dum in ſuis Sympoſiis *titulo de Sectariis* dixit. *Certum eſt, quod quilibet Hæreticus aut Sectarius eſt ſeditioſus; nam poſteaquam*

mendacia docuit, & ſparſit, ea deinceps homicidiis obſignat. Et iterum pag. 367. *Seditiones & homicidia ſunt Hæreticorum, imò diaboli velut quædam ſigilla:* Unde, quod Apoſtolus in Epiſtola ad Titum cap 3tio ſcribit; *Hæreticum hominem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt,* cuilibet dictum eſto.

Confluentia itaque, dum adrepenti hydræ & aditum tempeſtivè præcluſit, & Herculis ei clavam impegit, ſuis per id aris ac focis providè ac religiosè conſuluit; quin & deinceps in petra fidei, ſub obedientia Apoſtolicæ Sedis, eâ jugiter obſervantiâ & reverentiâ ſtetit, ut ex Interdicti cenſura, qua Eugenius Papa, hujus nominis 4tus, anno. 1433. univerſam Archi-Diœceſin ferierat ad perſequenda & componenda diſſidia, quæ inter Rabanum ab Helmſtatt, legitimè creatum Præſulem, ejúſque competitorem & antagoniſtam Udalricum à Manderſcheid, turbulenter obverſabantur, ipſa ſibi meritum, laudémque perennem pepererit teſte Browero *Lib. 19. num. 36.* ubi ait. *Confluentiæ in his turbis, etſi Udalrici Manderſcheidenſis factio magnas ibi vires habebat, rara tamen & memorabilis religionis laus enituit, cùm anathematis periculo declinato, Sacerdotum collegia, ac reliquos Cœnobitas in honore habere, ac veneratione maluerit, quàm ullis improbis, quod alibi fiebat, machinationibus ad violanda Pontificia decreta compellere.* Quibus & Maſenius conſonat, dum *in Ind. Chron. Hiſt. Trevir. pag. 33. Col. 2.* dicit: *Confluentini in diſſidio Archi-Epiſcopali*

electionis pro Pontificis Romani voluntate conſtanter ſtetêre, ejus excommunicationem reveriti; ideòque & Rabanum ſuſcepêre, factione Udalrici repreſsâ. Trevirorum non idem omnium ſenſus fuit. Geſta quoque Trevirorum Broweri & Maſenii aſſerta confirmant, dum *pag. 448.* dicunt: *Generale Interdictum fuit poſitum in Diœceſi Trevirenſi, quod duravit quatuor annis, vel circa. Confluentini in omni illo Interdicto laudabiliter ſe habuerunt, non arctando collegia, neque clauſtra, neque alias perſonas aut ſubditos.*

Sicut autem pravitati hæreticæ, præfataque turbæ ſchiſmaticæ, ita & Judaicæ perfidiæ ſuas ſemper portas Confluentia contendit occludere, utpote damnis aliorum, fors etiam ſuiſmet, edocta, Judæis nunc verè congruere, quod Sapientia *cap. 12mo.* de eorundem adverſariis dixit; *Quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia eorum, ac ſemen maledictum.* Imò teſte Apoſtolo *1. ad Theſſal. 2. pervenit ira Dei ſuper illos uſque in finem: quia & Dominum occiderunt JESUM, & Prophetas, & Deo non placent, & omnibus hominibus adverſantur.* Quocirca, dum Richardus à Greiffenclau vi privilegii, quod ei, ejúſque præceſſoribus Archi-Epiſcopis nonnulli Imperatores conceſſerant, ad annum 1518. Judæos intra ipſam admitti, ſuáque ſub protectione locum illis dari jubebat, Magiſtratus prudenter ac modeſtè ſe cunctantem, ac reluctantem exhibuit, moréque tunc tandem imperatis geſſit, quando perfidam hanc hominum fæcem ſtrictis arctandam

legibus, & ſub iis admittendam, tolerandámque reſcivit.

Cæterùm an hic Richardus, an verò Otto à Ziegenhein, Judæorum oſor, eorúmque ex Archi-Diœceſi proſcriptor, Confluentiæ ſeu bono publico magis profuerit, aliis edicendum relinquimus; nobis interim referentibus, & approbantibus illa, quæ Hermannus Kornerus ſuo Chronico ad annum 1419. hoc de Ottone intexuit. *Fuit vir magnæ prudentiæ & probitatis. Hic confirmatus in Archi-Epiſcopum, omnes Judæos de ſua provincia expulit, magis exhorreſcens eorundem malitias, quibus ſuam Diœceſin macularent, quàm ponderans lucrum vel commodum, quod ex eis habere potuiſſet. Bona verò eorum omnia confiſcavit, reſtituens cuilibet Judæo triginta denarios, in memoriam venditionis Chriſti pariter & vindictam: reddidit etiam pignora circa eos inventa omnibus debitoribus eorum, quæ ipſi pro mutuis à Chriſtianis acceperant, poſtulans ab iiſdem debitoribus ſolam ſummam ipſis à Judæis conceſſam.* Quod exterminium ſordidus ac maledictus hic populus non ſolùm ob venditionem & interemptionem Chriſti, ſed & meruerat ob carnificinam S. puero Wernero apud Weſaliam, nec non ob ſacrilegam Everhardo Archi-Epiſcopo Treviris illatam necem: in quos quibus modis naturalis eorum malitia, ac congenitus in Chriſtianos rancor ſævierit, narrat Browerus *in Annal. Trevir. lib. 11. num. 145. lib. 16. num. 116.*

CAPUT III.

De Sæcularibus Confluentiæ Principibus.

CONfluentiam ſuis in primordiis nullius ſubſtitiſſe dominio, Tacitus affirmare videtur, dum de Moribus Germanorum *cap. 28.* dicit; quod ſedes, ſive regiones ac terræ in prima tranſmigratione germanicarum gentium fuerint promiſcuæ, indiviſæ, nulliúſque potentiâ vel legibus intrà terminos definitos concluſæ: quot verò per ſæcula, vel quot in annos colonia hæc ſine domino primàque in libertate perſtiterit, aut quæ tempora hanc ei libertatem ademerint, non conſtat.

Conſtat è contra, quod aliquando paruerit Urbi, cui nomen Treviris: quæque à Germanis, ùt diximus, vel condita, vel certè tot civibus, opibus, ac viribus eſt aucta, ut tandem, teſtante Browero, in tributariorum ſuorum album ipſos etiam Nemetes, Vangiones, ac Triboccos adlegerit; quin &, referente Ill. Honthemio, ab Oriente uſque ad Rhenum, ab Occidente uſque ad Moſam, à Meridie uſque ad Mediomatrices, à Septentrione uſque ad Condruſos populum, hos intrà fines con-

cluſum, ſui juris efficiens, ſuum quoque illi nomen indiderit, inde dicta Trevirorum Auguſta: quæ quoad accolas Rheni, & ſic quoad Confluentes confirmantur à Cæſare, dum *Lib. 3. cap. 11.* nec non *Lib. 4. cap. 10.* dicit; *Treviri proximi Rheno fluvio ſunt. Rhenus per fines Trevirorum citatus fertur.* Similiter Strabo *Lib. 4. Geogr. pag. 194.* ait; *Treviri juxta Rhenum habitant*: unde & antiqui Scriptores, dum de Confluentia tractant, inquiunt; *Confluentia in Treviris.*

Auguſtæ Civitatis hujus gloria ad faſtigium tam ſublime conſcenderat, ut is, qui in ea primatum tenebat, apud Lucium Annæum Florum *Lib. 3. cap. 11.* Rex; Senatores verò in Commentario Cæſaris *Lib. 5. cap. 5.* Principes nuncupati legantur: qui, dum tutamina clientibus, confœderatis verò auxilia ferunt, dum opibus, dum viribus, nullíſque non felicitatibus florent, id ſibi demum à fatis adornatum conſpiciunt, quod nunc eorundem poſteri in tabulis evangelicis legunt: *cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet; ſi autem fortior ſuperveniens vicerit eum, univerſa ejus arma auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet:* Principatus namque Romanus, ùt Trevirorum capita ſæpe ſuperciliosa, fumigantia, & refractaria comperit, id tandem, quod elatius ac arrogantius, cuíque nomen Indutiomarus erat, enſe demeſſuit: cæteros verò Trevericos Proceres vel fugam arripere, vel capita inclinare coegit, dum ip-

ſam eorundem Auguſtam omnéſque illius terras quinquageſimo ante Æram veterem anno in Provinciam redigens, ipſas arbitrio & poteſtati Præſidis, qui Titus Labienus erat, ſubjecit. *Hiſt. Trevir. Diplom. to. 1. pag. 6.*

Quo ſuper Trevericæ celſitudinis lapſu ſentiendum, loquendúmq; cum Sanctis: *Deus transfert, & conſtituit regna.* Dan. 2. *hunc humiliat, & hunc exaltat.* Pſ. 74. Indèque & Confluentes cum humiliata ſua Domina ſua quoque capita inclinârunt Romanorum imperiis; at non continenter: dum namque trans-Rhenani Germani, qui & Franci, id eſt, liberi nuncupantur, circa tempora Gallieni Cæſaris anno Chriſti 260. occupatâ cis-Rhenanâ ripâ, Romanum militem, prout Ammianus Marcellinus *Lib. 28.* dicit, ex pluribus munimentis ejiciunt, Confluentiam quoque capiunt, copiis inſtruunt, ſuíſque imperatis ſubſternunt.

At verò dum denuo Cis-Rhenanarum rerum potiuntur Romani; dum Gallienus, & poſt hunc Valentinianus, uterque Auguſtus, Rheni ripas turribus, caſtellíſque communiunt, Confluentini quoque Aquilas imperiales adorant uſque ad annum circiter 464. quo Franci Romanos, cæſo Ægidio eorundem Duce, exuêre Trevirorum Auguſtâ, Coloniâ Agrippinâ, multíſque aliis Rheni litori inſidentibus locis, prout Geſta Francorum *cap. 8vo.* teſtantur: ex quibus Ill. Honthemius, rerum Trevericarum accuratior, ac critices intelligentior Scriptor, concludit; epocham imperii, quod in terras Trevericas

obtinuerunt Franci, inchoandam ac conſtituendam eſſe ad annum mox dictum. Cæterùm qui hi Franci, quíque fuerint eorundem Reges, idem Illuſt. Scriptor clarè ac ſcitè refert in *Hiſt. Trevir. Diplom. to. 1. pag. 12. & pag. 21.*

Francicum hoc regnum occidiſſe ad annum 509. Hiſtorici paſſim affirmant: dum nimirum Clodoveus Magnus occiſis Francorum Regibus, ex omnibus Provinciis, quæ ſub nomine Franciæ variis parebant Principibus, regnum unum, Gallia nuncupatum, erexit: at verò ut & ipſe anno 511. vitam cum ſceptro depoſuit, filii ac hæredes ejus, ruptis novi regni compagibus, id in Franciam Orientalem, ſive Auſtraſiam, & in Occidentalem, ſive Neuſtriam diſpertierunt: Rex Auſtraſiæ jam Metis, tum Rhemis ſibi Solium ponens, innumeris pene populis, ac inter hos Treviris, nec non & illis, qui Lotharingi poſtmodum nuncupati fuerunt, principabatur uſque ad annum 870. quo Carolus & Ludovicus Fratres, filii Ludovici Pii, hic Germaniæ, iſte Galliæ Reges, partiti ſunt Auſtraſiæ regnum: & quia in diviſionis hujus ſorte pars Occidentalis Carolo, Ludovico autem pars Rheno vicinior, nimirum Orientalis, obtigerat, hæc portio à Galliis avulſa, ad Germaniæ regnum acceſſit, indèque & Confluentia Germaniæ deinceps Regibus ſuam fidem addicere cœpit: demùmque ùt hi anno 936. ad Imperii Romani thronum in Ottone Magno levantur, Sacramenta iiſdem Imperatoribus Romano-Germanicis dixit uſque ad Henricum II. cogno-

mento Pium; cujus munifica demum religio, ſicut plura alia Dei cultui dicata loca inſignibus largitionibus & prædiis, ita & anno 1018. Trevirenſem Eccleſiam Confluentiâ cum omnibus ad ipſam pertinentibus auxit, ac Poponem, tunc Archi-Præſulem, per ſolemnes tabulas, *in Hiſt. Trevir. Diplom. to. 1. pag. 354.* relatas, in illius poſſeſſionem immiſit.

Quâ tamen donatione nec attentâ, nec obſtante, Præfectus ſeu Advocatus Imperialis (:hic ſemper è claſſe Comitum, viribus ac opibus pollentium erat:) munus ſuum apud Confluentes exequi, ac obeunda obire non deſtitit, teſtantibus id tum chartâ fundationis Arenſteinenſis Cœnobii ad annum 1156. tum inſtrumento publico, ad annum 1182. confecto ſuper compoſitione, inter Confluentinos Cives ex una, ex parte altera inter Trevirenſes S. Simeonis Canonicos initâ, Imperiali hoc Advocato præſente. Porrò præcipuum hujuſmodi Præfectorum officium, cura, ſeu ſtudium erat, pacem publicam inviolatam ſervare, orta diſſidia tempeſtivè componere, jus dicere, ac executioni mandare, ad redditus imperiales attendere, nec non circa alia pluta diſponere, quæ videri poſſunt *in Antiquitatibus Wetterariæ lib. 3. cap. 1. 2. 3. 4.* videatur quoque *Hiſt. Trev. Diplom. to. 1. pag. 575. 614. 832.* ex cujus etiam relatis habetur, quod Confluentia poſt ſuum ad Archi-Epiſcopos tranſitum ultra ſeſqui ſæculum ſub continuo jure ac præſidio Advocati imperialis perſtiterit, ab eóque tandem ad annum

1220. exempta, in plenum jus Præſulum Trevericorum conceſſerit per Conſtitutionem Friderici II. datam Francofurti ad 26*tam* Aprilis; ceu quâ præcipitur, ne quis Officialium Cæſaris in Civitatibus, ad Epiſcopos ſpectantibus, ullum poſthac juris actum exerceat. *Hiſt. cit. to. 1. pag. 658.*

Quibus ex præmiſſis evidenter conſpicitur, quod Confluentia paruerit 1*mò* Primatibus Trevirorum Auguſtæ. 2*dò* Romanis. 3*tiò* Germanis trans-Rhenanis, ſeu Francis. 4*tò* rurſum Romanis. 5*tò* iterum Francis. 6*tò* Regibus Auſtraſiæ. 7*mò* Germaniæ Regibus. 8*vò* Imperatoribus Romano-Germanicis. 9*nò* & ultimò Eccleſiæ Trevirenſis Præſulibus, de quibus nunc plura.

CAPUT IV.

De Eccleſiaſticis Confluentiæ Principibus.

PRænotandum hìc venit, quod, cùm Confluentia in ſæculo undecimo à jure Cæſaris in dominium Archi-Epiſcopi Trevirenſis tranſierit: Ludovicus Rex autem in confiniis ſæculi noni & decimi Radbodo, ſimiliter Archi-Epiſcopo noſtro, poteſtatem politicam in Auguſtam Trevirorum contulerit, hæc longè ante Con-

fluentiam jura ſua & ab enſe, & à Stola receperit. Porro Principes, qui ab anno 1018. uſque ad annum 1753. quo hæc ſcribimus, in utroque foro Confluentibus jura dixerunt, ſunt ſequentes.

I. Poppo Marchio Auſtriæ, & Eccleſiæ Bambergenſis Præpoſitus, renuntiatus Archi-Epiſcopus anno 1016. defunctus anno 1047. Hic ab Henrico II. in Confluentiæ poſſeſſionem immiſſus, ejuſdem telonio S. Simeonem Trevirenſem ditavit. Collegium S. Caſtoris decimis inſignibus auxit: Sacrum Divi Beati corpus è Monaſterio Dei-Paræ ad SS. Martyres prope Trevirim ſito, tranſtulit ad Eccleſiam Montis, in quo nunc Cœnobium Carthuſianorum conſpicitur. Interfuit Concilio Aquiſgranenſi anno 1023.

II. Everhardus Comes Palatinus Rheni, & Eccleſiæ Wormatienſis Præpoſitus, electus anno 1047. à Judæis per incantamentum occiditur anno 1066. donationem Confluentini telonii, à Poppone Canonicis S. Simeonis factam, confirmavit literis, in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 385.* telatis.

III. B. Cuno ſive Conradus Comes de Phüllingen, Suevus, Eccleſiæ Colonienſis Præpoſitus, ab Henrico IV. Imperatore anno 1066. deſignatus Archi-Epiſcopus, in via verſus Trevirim crudeli morte ab adverſaria factione perimitur.

IV. Udo Comes à Nellenburg, Suevus, electus anno 1066. defunctus anno 1077.

Concilio Moguntino aſſedit anno 1071.

V. Egilbertus Bavarus, Eccleſiæ Paſſavienſis Præpoſitus: electus anno 1078. defunctus anno 1101.

VI. Bruno Comes à Bretten & Lauffen, Suevus, Eccleſiarum Trevirenſis & Spirenſis Præpoſitus: elect. anno 1102. defunct. 1124. Hic, ùt Annales Trevirenſes *Lib. 13. num. 25. & 73.* referunt: Hoſpitali domo S. Nicolai apud Confluentes originem dedit, oblato domicilio & ſic dotato, ut non modò Clerum S. Florini, ſed vicinos quoque vicos & municipia exemplo ſuo ad beneficum concurſum induxerit. Baſilicam S. Florini, vetuſtate propemodum abolitam, quadrato ſaxo, dilatato quoque ambitu, ad eum, quo viſitur hodie, nitorem, decorémque adduxit. Adfuit Conventui Moguntino anno 1102.

VII. Godefridus patriâ Leodienſis, Eccleſiæ Trevirenſis Decanus, elect. 1124. de quo Geſta Trevir. *pag. 195.* hæc habent. Peracto anno Epiſcopatûs ſui inſurgentibus contra eum quibuſdam de Clericis ſuis, & introitum ipſius calumniantibus, tandem ad hoc cauſa eſt perducta, quod ſciens ſuam infirmitatem ad hoc onus non ſufficere, circa finem tertii anni, anno nimirum 1127. ab Epiſcopatu eſt abſolutus: ſive ùt Browerus *Lib. 13. num. 80.* dicit. Poſteaquam Sedem biennio, menſibus decem, diebus undecim occupaſſet, honore ſpontè abiit; atque ſingula factioſis concedendo, memorabili famâ modeſtiæ, in privatum vitæ genus deſcendit.

VIII.

VIII. Meginerus & à natali ſolo, & à ſplendore proſapiæ Godefrido non diſpar, electus anno 1127. defunct. 1129. Hic Godefridi inſectator acerrimus fuerat; indéque & forſitan minorati ſunt dies temporis ejus.

IX. Albero de Monſtreil, Lotharingus, Eccleſiæ Metenſis Præpoſitus, Abbas Prüimienſis, elect. anno 1131. def. 1152. Hic pleróſque Germaniæ Proceres anno 1139. Confluentibus adeſſe fecit; quatenus tam ſuâ quàm Theodewini Portuenſis Epiſcopi, & Cardinalis Legati authoritate Conradus Suevus, dictus tertius, Imperator eligeretur, quod & dexteritas ejus, quæ inſignis erat, evicit. Ut quoque inter vicinos Comites ac Nobiles gliſcentia bella ſopiret, anno 1152. ſolemnem hìc Conventum indixit; in quo diſſidentes compoſuit, Diœceſis ſuæ ſaluti conſuluit, otium Reipublicæ peperit, ac dein, lapſis poſt hæc pauculis diebus, in optima pace quievit.

X. Hillinus de Falemannia, ex Diœceſi Leodienſi originem trahens, & Eccleſiæ Trevirenſis Decanus, elect. anno 1152. def. 1169. In Monte S. Beati Canonicis Benedictinos ſubſtituit. Arcem Ehrenbreitſteinianam & exſtructâ turri munivit, & ædificiis ampliatis ornavit: in ipſa quoque duriſſima rupe vallem ac ciſternam immenſo labore, maximíſque impenſis exſcidit. Interfuit Conciliabulo Papienſi anno 1160.

XI. Arnoldus I. oriundus ex Provincia Colonienſi, & Coloniæ ad S. Andream Præpoſitus; elect. anno 1169. def. 1183. Anno 1179. Con-

cilio Lateranenſi aſſedit. Diſſidia, quæ ratione telonii inter Cives Confluentinos, & Trevirenſes S. Simeonis Canonicos obverſabantur, anno 1182. amicabili compoſitione diremit.

XII. Joannes I. Trevir. Imperialis Aulæ Cancellarius; elect. anno 1190. def. 1212. Hic mox dictum telonium ſuâ, & Imperatoris authoritate Eccleſiæ S. Simeonis noviter adjudicavit.

XIII. Theodoricus II. Comes Wiedenſis, Eccleſiæ Trevirenſis Archi-Diaconus, & Præpoſitus ad S. Paulinum; elect. anno 1212. def. 1242. Authoritas, quâ Præfectus ſeu Advocatus Imperialis in Confluentinos pollebat, ſub hoc Pontifice corruit. Duæ è contra ſacræ Familiæ, Dominicana nimirum & Minoritana, quibus Theodoricus non modò ſedes, ſed & favores impertiit, ibidem aſſurrexerunt. Interfuit Concilio Lateranenſi anno 1215.

XIV. Arnoldus II. Comes Iſenburgicus, Eccleſiæ Trevirenſis Præpoſitus; elect. anno 1242. def. 1259. Confluentiam nullis hucuſque mœnibus turribuſque inſtructam, vallo & munitionibus aliquatenus obſepere cœpit. In Arce Ehrenbreitſteiniana, quia Clero ſuo moleſtus & inacceptus erat, ſuo pro tutamine frequentiùs reſidere conſuevit.

XV. Henricus à Vinſtingen, Lotharingus, Eccleſiæ Metenſis Decanus, Eccleſiæ Trevirenſi in diſſidio ad annum 1266. Archi-Epiſcopus per Papam datus, moritur anno 1286. Hic Cives Confluentinos ob ſpreta & violata eorum jura, nec non ob caſtrum, quod intrà Confluentiam

ſtruere cœperat, refractarios habens, arctâ eos obſidione pacem amplecti, & obedientiam exhibere coegit. Monialibus S. Catharinæ Senonſis licentiam conventualiter hìc habitandi conceſſit.

XVI. Boëmundus I. à Warnesberg, Lotharingus, Eccleſiæ Trevirenſis Præpoſitus; elect. in ſchiſmate anno 1286. confirmatus 1289. def. 1299.

XVII. Dieterus Comes Naſſovius, Adolphi Imperatoris germanus frater, anno 1300. ex Ordine Sancti Dominici ad Archi-Epiſcopatum aſſumptus à Papa, def. 1307. Noſtrates tributis & vectigalibus, nec non oneribus aliis nimiùm ab eodem preſſi, & exinaniti, in motus demum, ac in ſeceſſionem labuntur: unde is copioſo eos milite cingit, premit, extremíſque remediis ad ſaniora, & ad juſſa capeſſenda reducit: quod tamen bellum, quia ærarium publicum vehementer attrivit, Dieterum in ſummam apud omnes invidiam, & criminationem adduxit.

XVIII. Balduinus Comes Luxemburgicus, Henrici VII. Imperatoris germanus frater, Eccleſiæ Trevirenſis Præpoſitus; elect. anno 1307. def. 1354. Confluentiæ Curiam Eccleſiaſticam, id eſt, Officialem proprium cum Sigillifero, Secretario, & Aſſeſſoribus: quin & pontem lapideum ſupra Moſellam præterfluentem dedit. In Monte S. Beati Benedictinis Canonicos, & his Carthuſianos ſuffecit.

XIX. Boëmundus II. Comes Sarapontanus, Eccleſiæ Trevirenſis Archidiaconus; elect. anno

1354. def. 1366. Hic mercatum annuum, qui à die *7tima* menſis Septembris uſque ad *1mam* Octobris Confluentiæ celebrari conſueverat, in tempus magis opportunum, nimirum in dies, qui à Dominica tertia poſt Paſcha uſque ad Vigiliam Pentecoſtes decurrunt, ſuâ & Cæſaris authoritate repoſuit.

XX. Cuno Comes à Falckenſtein, Wetteravus, Canonicus Eccleſiæ Moguntinenſis; elect. Coadjutor anno 1361. inthroniſatus 1362. def. 1388. in Æde S. Caſtoris ſub ſplendido monumento quieſcit.

XXI. Wetnetus Comes à Kôhigſtein, Cunonis nepos, & Eccleſiæ Trevirenſis Archi-Diaconus; elect. anno 1388. def. 1418. in Eccleſia mox dicta anaſtaſin univerſalem exſpectat.

XXII. Otto Comes à Ziegenhein, Haſſus, Eccleſiæ Trevirenſis Præpoſitus; electus anno 1418. def. 1430. Judæos è ditione ſua pellendo, Confluentiam quoque hac à fæce purgavit. Effigiem pientiſſimi hujus Præſulis ad vivum vide depictam in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 896, & ſeqq.*

XXIII. Rabanus ab Helmſtatt, ex Palatinatu inferiore originem trahens, Epiſcopus Spirienſis, à Papa ad Archi-Epiſcopatum Trevirenſem promotus anno 1430. hoc ſponte depoſito, ad Eccleſiam ſuam primam revertitur anno 1439. Plebs Confluentina hunc contra Principem tumultuariè, armiſque apprehenſis ſurrexit: Magiſtratus verò dolenter id ferens, dum ſupplicem Rabano ſe ſiſtit, ac contactis

Evangeliis jurat, motus hos ſe prorſus inſcio ac invito fuiſſe coortos, veniam & clementiam inſaniæ plebeiæ reportat. Comes Virnenburgicus, inſectator Rabani, hujus ante oculos Confluentiam parvam ignibus injectis devaſtat.

XXIV. Jacobus I. à Sirck, Lotharingus, Eccleſiæ Trevirenſis Scholaſticus; electus anno 1439. def. 1456. Fridericus III. ad inſtantias hujus Præſulis Confluentinis conceſſit, à Feſto exaltatæ S. Crucis uſque ad 28*vam* menſis Septembris agere nundinas eo prorſus jure, iiſdemque cum privilegiis, quibus Francofurtenſes ſuas agere ſolent. Idem Præſul in hujatem Minorum Conventualium regularem domum Minotes Obſervantes immiſit. Canonicis Regularibus S. Auguſtini ex Belgio huc accerſitis, dum pro iis intrà mœnia locum opportunum non reperit, ſedem in Inſula inferiori attribuit.

XXV. Joannes II. Marchio Badenſis, ad regendam Trevirenſem Eccleſiam à ſummæ Ædis Canonicis poſtulatus anno 1456. def. 1503. Mercibus Confluentiæ venditis acciſam, ſive tributum impoſuit. A Civibus provocatus ad iram, ad ſupplices eorundem preces, necnon ad inſtantias Capituli Metropolitani, culpam remiſit. In Arce Ehrenbreitſteiniana præaltum puteum laboribus immenſis effodit. Arcem Kerlichiam ab imo uſque ad ſummum perduxit. Eremitas Auguſtinianos in Vallem Ehrenbreitſteinianam invexit.

XXVI. Jacobus II. Marchio Badenſis, Pronepos Joannis, ejúſque Coadjutor; elect. anno

1493. Regimen adiit 1503. def. 1511. ejus exuviæ in Æde D. Florini ſub nobili monumento ſervantur.

XXVII. Richardus à Greiffenclau, Ringavus, Eccleſiæ Trevirenſis Cantor; elect. anno 1511. def. 1531. Judæos ab Ottone proſcriptos in Confluentiam reintroduxit.

XXVIII. Joannes III. à Metzenhauſen, Eccleſiæ Trevirenſis Præpoſitus; elect. anno 1531. defunct. 1540.

XXIX. Joannes Ludovicus ab Hagen, Lotharingus, Eccleſiæ Trevirenſis Præpoſitus; el. anno 1540. def. 1547. Carolum V. exquiſito hìc apparatu excipiens, interrogabatur in lingua vernacula; ipſéne Trevirorum Dominus eſſet? Cui is; non Trevirorum Dominus, ſed Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ fidelis ſum cliens: atque ita Carolum in Arcem Ehrenbreitſteinianam deducens, nonnullis ei diebus, quidquid honoris ac obſequii comminiſci poterat, magnificè & affluenter exhibuit.

XXX. Joannes IV. Comes Iſenburgicus, Eccleſiæ Trevirenſis Archi-Diaconus; el. anno 1547. def. 1556. conditus in Eccleſia D. Florini. Concilio Tridentino aſſedit anno 1551.

XXXI. Joannes V. à Petra, Eccleſiæ Trevirenſis Archi-Diaconus; elect. Coadjutor anno 1555. ad S. Sedem levatus 1556. def. 1567. Cives cum Scabinis & Senatoribus exiſtimantes ſe liberos, Cæſaríque immediatè ſubjectos, adéque magno iſi errore verſatos, quod hucuſque paruiſſent Epiſcopo, dum in apertam ſeceſſio-

nem prorumpunt, ac Joannem mœnibus arcere, ingreſſúque in urbem prohibere non timent, ipſos is arcto primùm obſidio, dein commeatu intercluſo, ac demum conditis legibus ſapere, ſeſe dedere, ac obſequi docet. Superbo funere in Ædem B. Florini delatus, in dextra Chori parte quieſcit.

XXXII. Jacobus III. ab Eltz, Eccleſiæ Trevirenſis Decanus; elect. anno 1567. def. 1581. In formula juramenti, quod Neo-Electus emiſit, promiſit; velle ſe, ſemel quovis anno ſacros Ordines apud Confluentes conferre. Ob hæreſes circumquaque graſſantes prohibuit, ne quis hic in civem reciperetur, niſi ſe Catholicum coram deputatis teſtibus fidei profeſſione probâſſet. Sacris & nobilibus Ordinis Ciſtercienſis Virginibus ab hinc in Inſulam inferiorem tranſlatis, Patres Societatis ſubſtituit. Monialibus, quæ S. Auguſtino litant, noménque à S. Barbara tenent, hìc locum indulſit. Utrique hujati Judicio, Aulico nimirum & Eccleſiaſtico, graves ac perutiles leges præſcripſit.

XXXIII. Joannes VI. à Schônenberg, Eccleſiæ Trevirenſis Præpoſitus; elect. anno 1581. def. 1599. Confluentinum PP. Societatis Collegium, Scholas, & Scholaſticos variis privilegiis muniit. In cauſis civilibus ab hujatis Officialatûs ſententia ad Parlamentum Aulicum appellari poſſe, decrevit. Profugas Andernacenſes S. Dominici Sanctimoniales Franciſcanis Virginibus in Martiniano Cœnobio junxit.

XXXIV. Lotharius à Metternich in Beil-

ſtein, Joannis V. ex ſorore Nepos, Eccleſiæ Trevirenſis Scholaſticus; elect. anno 1599. def. 1623. Domum Metternichiam, quam in fundis quatuor civicarum juſto pretio comparatarum ædium aſſurgere fecerat, privilegio Sedis Equeſtris ornavit. Præſcripſit modum exequendi ſententias ab hujate Officiali latas. Telonium Moſellanum abhinc Hammerſteinium ex Cæſaris licentiâ tranſtulit.

XXXV. Philippus Chriſtophorus à Soëteren, Eccleſiarum apud Nemetes Epiſcopus, & apud Treviros Præpoſitus; elect. anno 1623. defunct. 1652. In pede Ehrenbreitſteinianæ rupis ſibi, ſuiſque Succeſſoribus Electorale Palatium: in contigua verò Valle Capucinorum Sodalitio Cœnobium cum Eccleſia poſuit. Fidei ac cuſtodiæ tam Gallicæ, quàm Suecicæ Confluentiam, Ehrenbreitſteinium verò ſoli Gallicæ ad Imperatoris luctum, & ad Imperii detrimenta commiſit. Accerſito Sueco milite Confluentiam obſtrepentem compreſſit.

XXXVI. Carolus Caſparus à Petra, Eccleſiæ Trevirenſis Cantor; cooptatus in Coadjutorem anno 1650. inthronizatus 1652. defunct. 1676. Confluentiam & Ehrenbreitſteinium foſſis, turribus, & aggeribus novis communiit. Capucinorum in Valle Cœnobium & Eccleſiam, quæ gallicis flammis perierant, è cineribus reaſſurgere fecit. Thereſianis, ſive Carmelitis diſcalceatis intrà Confluentiam locum attribuit.

XXXVII. Joannes Hugo ab Orsbeck, Caroli Caſpari ex ſorore Nepos, Epiſcopus Spi-

renſis, & Eccleſiæ Trevirenſis Archi-Diaconus, in Avunculi ſui Coadjutorem aſſumptus anno 1672. regimen capeſſiit 1676. def. 1711. Confluentiam novis amplioribus academicis Scholis, nec non trajectitio Ponte: Ehrenbreitſteinium firmiſſimâ turri: Vallem Eccleſiâ S. Crucis, ac juribus Parochialibus auxit. Sanctimonialibus Auguſtinianis in civitatis angulo versùs Orientem latentibus, in platea Lôhrana Cœnobium magis commodum ſtruere, ac inhabitare permiſit. Hoſpitale verò, quod uſque huc ibidem extiterat, tranſtulit ad ſpatia, à quibus mox dictæ Moniales receſſerant. Gallis Confluentiam obſidione prementibus, æneum ſe murum objecit, ac inglorios in Franciam remeare coegit.

XXXVIII. Carolus Dux Lotharingiæ, Epiſcopus Oſnabrugenſis; elect. Coadjutor anno 1710. inthronizatus 1711. Viennæ in Auſtria anno 1715. variolis confectus occubuit.

XXXIX. Franciſcus Ludovicus Dux Neoburgicus, Epiſcopus Wormatienſis & Uratiſlavienſis, Supremus Ordinis Teutonici Magiſter, Præpoſitus Elvacenſis; Coadjutor Archi-Epiſcopi Moguntini, anno 1716. ad Cathedram Trevericam Canonicis votis evectus, gradum dein ad Moguntinam, hujus Præſule demortuo, fecit anno 1729. pro Paſtoribus emeritis ſedem, pro junioribus Clericis Seminarium, id eſt, ſcientiæ ac virtutis palæſtram, pro Judicibus Eccleſiaſticis Tribunal, ſive Curiam ſub uno eodémque tecto prope civitatis mœnia, quæ Orientem reſpiciunt, à fundamentis ad faſtigium

uſque percoluit, eâque dote, quæ decuit, inſtruxit. Orphano-trophium quoque ut ſurgeret, unà cum Carolo Caſparo Comite de Petra operam ſolicitam & uſque nunc conducentem impendit.

XL. Franciſcus Georgius Comes de Schônborn, Eccleſiarum Trevirenſis Præpoſitus, Colonienſis Scholaſticus, Spirenſis Decanus; elect. 1729. A Feria ſecunda poſt Dominicam Lætare uſque ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum, nec non à XVII. uſque ad IV. Cal. Septembris nundinas, quotannis ſolemniter hìc agendas inſtituit. Inſignibus munimentis Ehrenbreitſteinium, Kerlichium verò percommodis & magnificis ædificiis auxit. Schônbornianas delicias, nec non ampliſſimas ædes, quæ in atrio Palatii Electoralibus nunc Dicaſteriis ſerviunt, à fundamentis aſſurgere fecit. Capellam aulicam in formam ampliorem redegit. Rupi deciduæ murum, validúmque fulcrum ad Aulæ tutamen objecit. Prolixiora hujus Principis elogia videantur *in Hiſt. Trevir. Diplom. to. 3. pag. 208. & ſeqq.*

En itaque *quadraginta baſes argenteas*! *Ex 26.* quibus Confluentia in ſæculum octavum ſuffulta, populo nunc ac commercio, ſacris & profanis molibus, vallis ac mœnibus, quin & utroque ſic eminet foro, ut cum Trevirorum Auguſta in arenam deſcendere, pro palma cum ipſa certare, demúmque compellari valeat, prout olim Magni Leonis facundia è ſuggeſtu affabatur Romam.

Quadraginta hi Præſules *ſunt Patres tui, veríque Paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſeren-*

dam multò melius, multòque felicius condiderunt, quàm illi, quorum labor prima tibi fundamenta locavit. Serm. 1. in Natal. Apoſt.

CAPUT V.

DE REGALIBUS

Quæ Archi-Epiſcopis intra Confluentiam competunt.

JUra & Privilegia, quibus illuſtriores plerumque perſonæ, Civitates quoque liberæ, nec non aliæ hinc inde Communitates in Ditionibus Imperii gaudere noſcuntur, appellantur Regalia, eò quod ſint munera, à Regibus in ipſas profecta: horum autem etſi non pauca, neque modica ex religioſa Cæſarum, Regúmque munificentia dimanârint in Archi-Præſules noſtros, de iiſdem tamen ſigillatim hìc agere, & forum noſtrum excedit, & conſtitutis repugnat: ea proin ſola proferimus, quæ intrà Confluentiam, ac ſub expreſſo Confluentiæ nomine Archi-Epiſcopis attributa leguntur: quoad cætera verò Lectorem remittimus ad Hiſtoriæ Trevirenſis Diplomaticæ *to. 1. & 2.* ubi ſingula ſuis locis indicata & illuſtrata reperiet.

§. PRIMUS
De Jure Telonico.

REgale primum atque præcipuum, quo Archi-Epiſcopi noſtri intrà Confluentiam gaudent, eſt facultas, ſive jus in terra æque, ac in præterfluentibus aquis à tranſeuntibus, vel vecturas ducentibus, nec non à præternavigantibus exigendi vectigal. Conſtat id primò ex ſic ſonante Diplomate Henrici II. *Pro remedio animæ noſtræ, nec non dilectiſſimæ Conjugis noſtræ Cunigundæ, videlicet Imperatricis Auguſtæ, Trevirenſi Eccleſiæ... Confluentiam... cum Telonio tradimus, atque firmiter donamus... Anno Incarnationis Domini noſtri JESU Chriſti 1018. Indict. 1. Anno Regni Domini Henrici Romanorum invictiſſimi Imperatoris Auguſti xvij. Imperii autem v. actum Boderebrunnen* (:PADERBORNÆ:) *feliciter.* Conſtat ſecundò ex charta Archi-Epiſcopi Popponis, quâ Collegio S. Simeonis telonium hoc donat, & ait: *Telonium, quod à prætereuntibus navigio, & in foro Confluentino ſolvitur, cum omni jure ſuo liberè in manu noſtra Imperiali conceſſione tenentes &c.* vide Hiſtoriam Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 354. 379.*

Erant hæc ſancta & aurea illa tempora, in quibus Cæſares, Reges, ac Principes divini honoris dilatandi gratiâ Sacerdotium ſtabiliebant Imperio, additibus attollebant Eccleſias, ſuiſ-

que ſibi ſubſtantiis coronas fabricabant in cœlis; ſed & Eccleſiarum Antiſtites, quibus dederat Deus *divitias, & ſubſtantiam, & honorem. Eccle. 6.* ſacris frequenter Collegiis & Ædibus, prout neceſſitas vel merita eorundem monebant, aderant luculentis auxiliis. Vidit id, ùt diximus, & etiamnum prædicat S. Simeoni intrà Trevirim dedicata Baſilica, ceu cui prænemoratus Poppo ad annum 1042. per ſolemnes, in Confluentina nimirum S. Caſtoris Eccleſia coram Clero & Populo confectas, appenſiſque Sigillis roboratas tabulas telonium Confluentinum attribuit; Henricus verò hujus nominis IV. tam ratæ pietatis donum anno 1104. ratum, validúmque voluit, ac, quid pro mercibus ſigillatim pendendum, decrevit.

Circa quæ tamen advertendum eſt primò; mox dictæ donationis tabulis hanc clauſulam fuiſſe inſertam; *excepto, quod Oeconomus Epiſcopi in Feſto Beatæ Nativitatis Domine noſtræ accipiet medietatem telonii per unum diem integrum, & duos dimidios*: quæ idcirco adjecta & reſervata videntur, quatenus poſteritas inde dignoſceret, beneficium tam pingue ac nobile nonniſi ex pietate Epiſcopi, & non aliunde, in Collegium Sant-Simoneum fluxiſſe.

Advertendum ſecundò; quod, cùm aliquando Confluentina Communitas quartam telonii hujus partem Canonicis S. Simeonis negandam, & ædificiis ſeu publicis ſuis fabricis debitam, applicandámque contenderet, ipſoque facto partem illam ſui juris efficeret, Arnoldus I. adhi-

bitis ſedulis paſtoralibus ſtudiis, ad compoſitionem amicabilem diſſidentes partes induxerit; ſubindéque Confluentini cives, poſthac ſe nunquam contra jura Canonicorum acturos, porrectis Arnoldo manibus, pro ſe, poſterisque ſpoponderint: Canonici verò *pro tam amicabili & ſincera compoſitione, ad conciliandum ſibi poſteritatis ipſorum favorem, & ad comparandos pradii alicujus reditus, ob factæ compoſitionis memoriam, Confluentinis civibus ſexaginta marcarum pecuniam dederint.* Acta hæc fuêre in Civitatis Prætorio Anno Domini 1182. præſente Arnoldo Archi-Epiſcopo, præſente quoque Roberto Comite Naſſovio, Confluentinorum Imperiali Præfecto; qui coactis illic univerſis civibus ſub pœna banni ſui diſtrictè inhibuit, ne quis in poſterum ſuper ſæpè dicto Fratrum, id eſt, Canonicorum iſtorum telonio querimoniam ulteriorem moveret, aut ipſis quoquo modo moleſtiam, ſeu gravamen inferret.

Advertendum tertiò; conſtare quidem partim ex Popponis Archi-Epiſcopi, partim ex Henrici IV. Imperatoris ſuperius allegatis tabulis, quod ex telonio Confluentino dimanantia commoda, ſi illa Oeconomi Epiſcopalis excipias, S. Simeonis Collegio fuerint ad aſſem donata: at verò, ſi aliæ quoque chartæ legantur, ex iiſdem patebit, hæc ei lapſu temporis ex parte fuiſſe ſubtracta, & retracta ad Archi-Præſulis fiſcum; una harum chartarum eſt illa Joannis, hujus nominis Archi-Epiſcopi primi, expedita ad annum 1193. altera eſt Ludovici Imperatoris IV. data ad an-

num 1314. Ex priore liquet, quod Mercatores, temporibus ejuſdem Joannis Confluentiæ negotiantes, Eccleſiæ S. Simeonis pendendos ſolùm habuerint quatuor Confluentinos, ſive duos Colonienſes denarios. Ludoviciana verò dicit; Archi-Epiſcopus, ſive *Eccleſia Trevirenſis ex Noſtra, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum, Romanorum Principum conceſſione perpetuò pro qualibet carrata vini, & aliis mercimoniis... in Confluentia ſuper Rhenum quatuor groſſos Turonenſes ratione telonii recipit, ac recipere debet.* Porro ſicut tunc telonici juris portio ad Archi-Epiſcopum rediit, ita Ipſum, ſive Ejus ærarium telonii nunc totalitate gaudere, nemini non conſtat; latent è contra tituli, modi, ac tempora, quibus ſæpe dicta Eccleſia iis juribus fuit exuta.

Advertendum quartò; quod ex conceſſione Caroli Imperatoris IV. ad annum 1354. nec non ex alia Friderici III. ad annum 1442. Archi-Epiſcopis Trevirenſibus facta, ſicut & ex edicto, ad annum 1616. per Lotharium Archi-Præſulem edito, colligere liceat, quod utì nunc, ita & à pluribus retrò ſæculis Confluentiæ duo ſemper telonia fuerint, unum juxta Moſellæ, alterum juxta alveum Rheni: quódque iſtud annis ſequentibus tum ex indulto Cæſarum, tum ex Collegii Electoralis conſenſu fuerit tranſlatum in Hammerſtein: inde verò quod tractu temporis in Engers, & ab hinc fuerit denuo Confluentiam poſitum, & chartæ publicæ, ac modernæ experientiæ ſatis liquidò monſtrant.

Advertendum quintò; quod litteræ, quibus Henricus à Vinſtingen, in Epiſcoporum Trevirenſium ſerie 87timus, aſperſas ſibi labes coram Papa emaculare contendit; quæque in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 767. & ſeqq.* referuntur cum Papalibus, ipſum poſtulantibus literis, apertiſſimè dicant, telonium Confluentinum quotannis mille olim marcis Archi-Præſulis fiſcum auxiſſe: unde, dum abundantiora, & intelligentiora nunc tempora vivimus, id quoque jam longè ditius in eundem fiſcum influere, in dubium nemo prudens vocabit.

§. SECUNDUS

De Jure cudendi Monetam.

ALterum Regale, quod apud Confluentes Archi-Epiſcopis, & Electoribus Trevirenſibus competit, eſt jus cudendæ monetæ, anno 1018. conceſſum ab Henrico II. & anno 1045. confirmatum ab ejuſdem nominis Imperatore III. quorum tamen Diplomata de ſolius argenteæ, non autem de percuſſura monetæ aureæ veniunt intelligenda: jus námque auream monetam cudendi, Carolus IV. in Bulla Aurea *Tit. 10. §. 2.* Electoribus demum conceſſit.

Porrò numinos, qui Confluentiæ ex officina monetaria ad hæc uſque tempora ſub Archi-Epiſcopis noſtris in auro prodiiſſe leguntur, percuti

percuti jusserunt Otto à Ziegenhein, Jacobus Badensis, Carolus Casparus à Petra, Joannes Hugo ab Orsbeck, Franciscus Georgius à Schônborn. Nummis argenteis ibidem cusis æraria cimmeliáque ditârunt Boëmundus Sarapontanus, Wernerus à Kônigstein, Lotharius à Metternich, Carolus Casparus, Joannes Hugo, Franciscus Ludovicus Neoburgicus, & Franciscus Georgius Schônbornius. Primus, qui nummos aureos, quos appellamus Ducatos, cudi fecit, est Carolus Casparus à Petra: nummi námque aurei, ab ejusdem Antecessoribus Confluentiæ vel alibi cusi, duobus solùm Rhenanis argenteis florenis æquivalebant. Idem ipse Elector de argento patrio ex eadem officina prodire fecit Imperiales, vulgo Reichsthaler/ hâc inscriptione signatos. *Donum Dei ex fodinis Vilmariensibus.* Super quibus consuli, & legi poterit *Historia Trevir. Diplom. to. 1. pag. 355. 382. 589. to. 2. pag. 886. & seqq. to. 3. pag. 275.*

§. TERTIUS

De Jure recipiendi & protegendi Judæos.

TErtium Archi-Præsulum nostrorum Regale est jus, seu facultas intrà Confluentiam

admittendi, retinendi, nec non protegendi Judæos; ita ut tributum ab iis exigere, vim ipsis inferre, eos è civitate ejicere, aut alio quovis modo premere vel affligere, alteri inferiori non liceat; constant hæc ex charta Caroli IV. quæ ad annum Christi 1356. Boëmundo II. privilegium hoc non tam impertit, quàm aliàs indultum confirmat. Hebræorum quippe genti ante hujus Boëmundi tempora tam apud Treviros, quàm Confluentes stabilia fuisse domicilia, liquet tum ex iis, quæ Browerus ad annum 1060. de nece Everhardi recenset, tum ex Magistratûs Confluentini statuto, quod extat apud Illust. Hontheimium *in Hist. Trevir. Diplom. to. 1. pag. 819.* quóque ad annum 1283. Cal. Octob. decernitur; quod, si quis in mortem vel damnum Judæorum conspirare, aut quid machinari præsumpserit, tam quoad personam, quàm quoad bona sit prolapsurus in vindicem Archi-Episcopi manum.

At nunc enascitur quæstio; an à tempore Ottonis de Ziegenhein, qui anno 1419. in limine sui regiminis in omni sua ditione judaicum nomen expunxit, an, inquam, à tunc usque ad Richardum de Greiffenclau Confluentia suis aliquando civibus Judæum cohabitantem conspexerit? Ad quod negativè respondendum putamus; tum quia à decessu Ottonis usque ad mox dictum Richardum non est ostensibilis Electoralis charta, quæ quid de Judæis in Confluentiam reintroductis, vel reintroducendis disponat: tum quia Richardo, locum iis

ibi dare paranti, conſtantem reniſum, quantùm licuit, Magiſtratus objecit, prout legitur in ipſiuſmet Richardi diplomate, quo quinque Judæorum familias, nonageſimo nono poſt eorum expulſionem anno, Confluentiæ readmitti præcepit. Videantur ſuperius dicta ad calcem cap. 2. nec non Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 608.*

CAPUT VI.

De Legibus Urbi Confluentinæ peculiariter datis.

FLuvius, ſi tranquillus, ſi placidus eat, ſi itum intrà ſuum alveum compoſitè ac innoxiè teneat, jugi fruitur facultate eundi: at verò ſi tumeat, ſi litora perniciosè tranſſcendat, moles ſibi & aggeres objici ferat, oportet: ſimili prorſus modo, ſi populus intrà legum aut conſuetudinum limites, quæ pacis, quæ juris, quæve moris ſunt, cogitet & agat, ſalus ejus aliis adminiculis non eget; at verò ſi contra Principem vel Magiſtratum aſſurgere, ſi indebita vel inaſſueta prætendere, ſi inconceſſa moliri, aliiſve modis prævaricari præſumat, æquitas quin & neceſſitas poſcent, ut ſtrictiores ei

leges, velut aggeres, vis major opponat. Suis id quondam damnis Confluentini ſensêre, at non ſoli; Trevirim námque ac Boppardiam aliquando cum ipſis in ſimili, quin & in graviori damnatione luxiſſe, legimus in Trevirenſium faſtis: interim verò dum hìc de legibus eorundem tractamus, præſciendum venit, quod non tantùm vindicativa Principum juſtitia recalcitrantem quandoque Confluentiam legibus velut fræno domuerit, ſed quod & morigeram atque compoſitam eorundem providentia ſalutaribus ordinatis inſtruxerit; ídque nunc, prout per hiſtoriæ noſtræ duces accepimus, cum Lectore communicamus.

Henricus à Vinſtingen, ut amputaret incommoda, quæ Antiſtites noſtri in ſuo ad ædem ſuam Ehrenbreitſteinianam aſcenſu frequentius experiebantur: ut ſuam quoque perſonam contra vim & pericula, quæ metuebat, in tuto locaret: ut & arctiore fræno Confluentiam audentiorem compeſceret, Caſtrum, die Bürg hodiedum & olim dictum, anno 1280. intrà ipſam ad Moſellæ ripam cœpit erigere; at verò quia novum hoc opus Nobili æque ac ignobili civi ſiniſtras ingenerabat ideas, nullúſque non id ægrè moleſtéque ferebat, cœpêre tandem in murmura non modò prorumpere, ſed & in turbas ſenſim coire, fœdera exterorum accerſere, arbitratu ſuo publicas munitiones dirigere, quin & eò prolabi, ut privatis etiam in conventiculis, Antiſtitem è medio tollere, excœcatâ ratione concluſerint.

Henricus, qui ſuo ex genio ſatis igneus, per-quem verſutus, ægréque placabilis erat, ùt primùm hæc ſubodorat, apertius in flammas prorumpit, militem copioſum conſcribit, contra cives adducit, eos premit, angit, & arctat; dúmque his ſub anguſtiis Nobiles, cæteráque motuum capita fugâ ſe extricare notantur, reſidui ſuo ſe Principi ſubdere, ac dedere ſub hac conditione reſolvunt, ùt nimirum inter Ipſum & cives enatæ hucuſque lites per Moguntinenſium demum & Agrippinenſium Præſules, nec non per ſupremum Equitum Teutonicorum Magiſtrum, ceù per arbitros conjunctim deciderentur: qui proin anno 1281. in Curia Confluentina convenientes in unum, condidêre decreta, dederúntque mandata ſequentia. 1*mò*. Milites, Scabini, cæteríque cives D. Henrico, ac Succeſſoribus ejus; tanquam veris & legitimis ſuis Dominis, reverentiam & obedientiam, prout debent, exhibeant. 2*dò*. Omnia juramenta, colligationes, & fœdera, in Eccleſiæ Trevirenſis præjudicium facta, retractent, nec unquam reaſſumere, vel renovare præſumant. 3*tiò*. Surrectioni novi operis ſive Caſtri nullum poſthac impedimentum obmoveant. 4*tò*. Civitatem muris, foſſis, ac vallis, ſi voluerint, valeant munire. 5*tò*. Juribus ac privilegiis, quibus hucuſque gaviſi & uſi fuêre, gaudeant ac utantur deinceps, nec in libero eorundem uſu à D. Henrico, aut à Succeſſoribus ejus quoquo modo turbentur.

Initâ ſic Confluentiam inter ac Præſulem tam

ſanctâ, & utriſque proficuâ pace, Hic æque ac iſta nil niſi proſpera exin oritura ſperantes, nil quoque turbidi, nil adverſi timebant: ſed en infelicitas & commotio nova! Nobiles quippe aliíque cives, quos malæ conſcientiæ ſtimulus ſolum vertere, capitáque ſalvare compulerat, res denuo novas comminiſci, acriores motus ciere, ac contra Principem non verentur impotenter inſurgere: unde & is, quatenus inita nuper fœdera in perpetua ſtabilitate perſiſterent, poſtulat à civibus cæteris, ab iíſque non difficulter reportat; quod rebellibus his nullus unquam inter ipſos indulgendus ſit locus: quod illis nil unquam gratiæ, nil juris favendum: quod ſi revertantur, mox conſignandi ſint in vindicis juſtitiæ manus: quódque & in illos, qui eorundem cauſam defendendam aſſument; vel qui arma ad iis opitulandum capeſſent; vel qui ad concitandam plebem ære campano ſonum tumultuarium edent; aut qui Prætori in illorum captura reſiſtent, vel opem poſtulatam non conferent; aut qui contra Principem conjurationibus, aliíſve machinationibus ſurgent, is ipſos prehendere, tenere, ac contra eos, ſi ex ore duorum teſtium de eorundem delicto conſtiterit, prout ipſi libuerit, procedere poſſit. Ad quorum plenius perpetuúmque robur in Curia Confluentina confectæ, ac à pluribus viris illuſtribus obſignatæ ſunt tabulæ, per extenſum relatæ in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 819.* brevius autem adductæ in Annalibus Boweria-nis *Lib. 16. Num. 107.*

Confluentiæ rebus publicis Archi-Epiſcopum inter & cives per longiora tempora in optima pace repoſitis, hæ noviter his modis turbantur. Dieterus, Adolphi Naſſovii Imperatoris germanus frater, ac in locum Henrici à Virnenburg, in Archi-Epiſcopum canonicè electi, ex Papali diſpoſitione ſuffectus, ùt Albertum Regem, æmulum ſui fratris Adolphi, clam & palam continuis inſectationibus petit: ùt omnem illi nervum jam patriis, jam exteris armis, undequaque congeſtis, opponit, Confluentiam inde, prout tributis identidem indictis exhaurit, ita querimoniis, impatientiis, & indignationibus implet, quæ proin jugi tam gravis pertæſa, id tandem excutere, ac fidem, quam primùm Virnenburgico ad annum 1299. electo, at à Papa, qui Bonifacius Octavus erat, necdum confirmato Præſuli, ſubindéque Naſſovio, Bonifacio mandante, jurârat, huic incipit apertè negare.

Dieterus peracerbo hæc animo coquens, biliſque fermenteſcenti concedens, militem extemplo conſcribit, arctè Confluentiam cingit, aſſultibus crebrioribus premit; indéque à civibus celerem deditionem extorquens, ipſos novis ſe juramentis obſtringere, ac expreſſius profiteri compellit, quod in civilibus æque ac in eccleſiaſticis Archi-Epiſcopo morem gerere; quod in perpetuum ad id ſe devinctos agnoſcere: quódque id in opere nunquam non morigerè ac fideliter oſtendere velint. Acta ſunt hæc in Curia civica anno Domini 1304. in Sabbato ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ; quibus hæc

epiphonematis loco pro Principe; *Patres! nolite ad iracundiam provocare filios veſtros. Epheſ. 6.* iſta pro populo ſubnectenda putavimus; *noli reſiſtere contra faciem potentis, neque coneris contra ictum fluvii. Eccli. 4.* nec non & iſta *1. Pet. 2. Subditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, ſed etiam diſcolis*, ſive ùt Gloſſa dicit, *aſperis quoque ac malè moratis.*

Benè poſthac moratam ſuo ſe Principi Confluentia probans, in omni erga eum cultu in tertium uſque ſæculum obſervantiſſima & florentiſſima ſtetit: at verò cùm per Lutheri ac Calvini corruptiſſima dogmata, ex iiſque dimanantia pernicioſa concilia vix non tota obſtreperet, recalcitraret, & armaretur Germania, Confluentia quoque cum Boppardia & Treviri vix non in ſimilem inſaniam lapſa, contra Joannem à Petra non timuit arroganter aſſurgere, criſtas arrigere, quin & ad ipſam introire volenti portas impudenter occludere, prout præter Browerianos Annales inedita quoque Trevirorum Geſta ſequentibus produnt. *Anno 1560. Confluentes in ſeditionem prolapſi, Archi-Epiſcopi & Principis ſui imperata facere detrectabant; quos Archi-Epiſcopus anno 1561. obſidione & rerum omnium penuriâ domuit. Datis ergo legibus, & recepto ab eis ſacramento de non amplius deficiendo, pax reddita, civibúſque & authoribus gratia, & admiſſorum oblivio data eſt. Simili modo Boppardienſes domiti ſunt: ut autem Trevirenſium motibus, qui ſeditionibus plebem præparare pergebant, intentius inſiſtere poſſet, priùs*

Confluentinos pacatiores & fideliores ſibi facere ſtuduit, quàm bello Trevirenſes oppeteret. Humaniter ergo Confluentinos tractare cœpit, concedendo, quæcumque rationabiliter poſtulaſſent, invitando etiam honoratiores ad ſua convivia.

Porro inter leges, quas Trevirorum faſti memorant poſt hæc diſſidia Confluentibus latas, iſta utique principalior fuerit, quæ Magiſtratum Urbis ex ejuſdem Præfecto ſive Satrapa, ex Prætore ac quatuordecim Scabinis, ex duobus Conſulibus, nobili videlicet & non nobili, demúmque ex Senatoribus è claſſe civium hunc ad gradum levandis, conſtituit atque componit: his verò quid agendum, vel quid omittendum incumbat, ſimili tunc cura hic Princeps tum fusè tum & accuratè ſancivit. Ubi tamen notandum, quod, etſi Joannes à Petra leges has primus ediderit, mox dicta tamen Magiſtratûs forma non ab ipſo ſolo, ſed & ab Anteceſſoribus ejus ſuum ortum ordinémque derivet: eam námque longè ante Joannis tempora, ſi non ex toto, ex plurima tamen parte extitiſſe ac floruiſſe in Confluentium Curia, novimus ex iis, quæ referuntur in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 615. 865. & ſeqq.*

Viſis hucuſque diſſidiis inter Principem ac cives enatis, viſis quoque legibus adverſus ea providè, ac ſalubriter latis, offendimus nunc ad controverſiam, ſive ad querelam, quam Confluentium Prætor & Scabini contra non nobilem Conſulem & Senatores, & hi contra iſtos anno 1527. ſub Richardo de Greiffenclau

ad tribunal Electorale tulerunt: hi autem motus unde profluxerint, quibúſque modis fuerint à Richardo compoſiti, indicat ejuſdem deciſio, quâ, quid in inſpectione interempti corporis, in ſtatuendis ponderibus ac menſuris, in denuntiatione novi operis, circa ſylvam glandariam, quoad ligna pro ædificiis erigendis cædenda, quoad præcedentiam ſive ſeſſionem, nec non quoad conventiones in Curia, quid, inquam, quoad iſta Prætori ac Scabinis, quídque Conſuli ac Senatoribus competat; quid quoque ab ipſis, ſi vel Conſul vel Civis delinquat, obſervari oporteat, declaratur per novem articulos, relatos in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 615. & ſeqq.*

Porro ſicut hic Princeps, ejúſque prædeceſſores Joannes à Petra, Dieterus Naſſovius, & Henricus Vinſtingius latis legibus atque decretis ſaluti publicæ quam-optimè conſuluerunt, ita Joannes Badenſis ditando civitatis ærario, nec non ſtruendis ædificiis, aliíſque accrementis publicis ſuas curas ſacravit, dum ad annum 1462. conſentiente ac concurrente Magiſtratu decrevit; ut Fiſcus de qualibet marca, à mercium venditore receptâ, duos nummos: pro cado autem vini, in civitatem advecti, duos deinceps albos tam ab exteris, quàm ab inquilinis exigeret; illiúſque tributi ſive acciſæ pars una Principi, duæ cæteræ competerent Civitati per proximè ſequentes duodecim annos; atque his lapſis pars una in hujus, duæ aliæ in ærarium Principis deportarentur.

Jacobus ab Eltz pacis non modò, publicíque commodi, ſed & avitæ religionis zeloſiſſimus ac vigilantiſſimus cultor, dum quorundam ſuâ in Metropoli à fide nuper deſciſcentium auſus, quin & Belgium diebus his ab hæreſi ſuſque deque jactari conſiderat, Confluentiam hæc contra mala tempeſtivè præmunire contendit, atque idcirco ad annum 1572. edictis paſtoralibus ordinat, & vetat, ne quis cooptetur in illius civem, & ne cui eam inhabitandi licentia fiat, niſi præviè coram teſtibus ad id deputatis in fidem Romano-Catholicam juxta formulam præſcriptam jurârit.

Poſt hæc ad cultum juſtitiæ, in utroque deinceps foro attentiùs ſtrictiúſque zelandum, ſpiritu principali ſe vertens, Parlamentum aulicum æque ac eccleſiaſticam Curiam imbuit ſapientiſſimis legibus: ſed & Lotharius à Metternich ipſa hæc veſtigia premens, dum anno 1617. negligentias & incurias deregit, ob quas utraque Civitatis Curia quoad modos exequendi ſententias ab Officiali latas, corrigi, & emendari poſcebat, ſerpentibus inde malis obviam per triplicata decreta procedit. Vide Hiſt. Trev. Diplom. *to. 3. pag. 47. 48. 253.*

Cæterùm præter dictas hucuſque leges, aliis quoque ſancitis, placitis, atque decretis grammatophylacium Confluentinum inſtrui, dubitare non licet: horum autem ſciendorum gratiâ cùm iſtud ſubire non detur, illáque hìc loci referre, ſit extrà ſphæram activitatis noſtræ, hinc tandem huic capiti hunc finem imponimus; quod nem-

pe Confluentia tergeminæ ſuos erga Principes inobſervantiæ ac inobedientiæ rea, reatus hos totuplicis fidei non vulgaribus argumentis abſterſerit: & quidem *1mò.* quando ad annum 1347. nobilior & potior civium portio, ùt primùm audiit, Reinhardum Weſterburgicum Comitem dolis & aſtu cepiſſe Grenzavienſe Balduini ſui Principis caſtrum, urgente erga illum fide, arma ſine mora prehendit, ac viriliter, at non æque feliciter, in campum contra hoſtes proceſſit. *2dò.* Quando Richardo, quem Franciſcus à Sickingen, rebellium Luthericolarum ductor, anno 1523. infeſtis copiis intrà Trevirim cingebat atque premebat, ſexcentos & ſeptuaginta milites ſuis ſumptibus auxiliarios miſit. *3tiò.* Quando Philippum Chriſtophorum, anno 1645. ex decennali exilio reducem, anteáque ſibi in pluribus ſat durum, & inclementem, omni tamen, ùt ait Maſenius in continuatione Annalium Trevirenſium *Lib. 25. num. 75.* omni, inquam, honore, plauſúque, & obſequio, quo deſideratiſſimus patriæ pater excipi potuiſſet, excepit. Confluentia itaque ſicut cum D. Petro ſuis à Dominis triplicatâ negatione receſſit, ita & cum illo abſceſſuum ſuorum maculas totuplici dilectione purgavit.

Diximus antea; quod Confluentia tergeminæ ſolùm ſuos erga Principes inobſervantiæ ac inobedientiæ comperta ſit rea; quarta enim ejus receſſio, quam Philippi Chriſtophori impropriis procedendi modis, ac inconditis imperatis ob-

jecit, ſpecialiter ei imputanda & exprobranda non venit; eòquod mirabili & aſpero hujus Principis genio omnis ferè cum ipſa obſtrepuerit Trevericus orbis, ipſéque Philippus Chriſtophorus vix non ſemper induerit, ac egerit perſonam illius, de quo olim Scriptura; *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum. Gen. 16.*

CAPUT VII.

De nonnullis Confluentiæ Privilegiis.

PRivilegium definiti ſolet; jus ſingulare contra jus commune conceſſum: cujuſmodi juribus Confluentiam ab antiquis retro temporibus vel per Cæſares, vel per Archi-Epiſcopos fuiſſe donatam, liquet ex pervetuſtis inter ipſam & Henricum Vinſtingium initæ concordiæ tabulis, ceu in quibus inter alia ſtatuuntur & iſta. *Milites, Scabini, & Oppidani Confluentini utantur, & gaudeant omni jure in ipſo Oppido Confluentino, prout hactenus ſunt gaviſi: nec ipſe Dominus Archi-Epiſcopus, vel ſui Succeſſores, Milites, Scabinos, & Oppidanos Confluentinos ſuper eo impediant deinceps, gravent, aut moleſtent.* Hæc

autem jura, ſive privilegia quæ ſeu qualia iiſdem temporibus fuerint, tabularium Confluentinum, ſi interrogetur, forſitan edicere poterit; dum interim nos alia quædam, eáque partim obſoleta, partim adhuc uſitata, ſeu valida, ex Hiſtoria Trevirenſi Diplomatica, nec non ex Annalibus Browerianis depromimus, in ſeriem ſequentem redigimus, ac cum Lectore communicamus.

Primum itaque Confluentiæ privilegium ſeu jus quondam erat, publicum quot annis mercatum, ſive ſolemnes nundinas à Dominica tertia poſt Paſcha uſque ad Vigiliam Pentecoſtes agendi eo prorſus ritu, jure, ac privilegio, quibus Francofurtum ſuis in nundinis uti, gauderéque conſuevit: Privilegium hoc Carolus IV. anno 1356. Idibus Decembris ad inſtantias Boëmundi II. conceſſit; quod dein Jacobus I. novâ Cæſaris authoritate firmandum, & quoad temporis circumſtantias alterandum ſeu meliorandum exiſtimans, anno 1441. IV. Cal. Septembris à Friderico III. facultatem obtinuit, eaſdem nundinas transferendi in opportunius tempus, ad eos nimirum dies, qui à decima quarta uſque ad 28*vam* Septembris, ſive à Feſto Exaltationis S. Crucis uſque ad profeſtum S. Michaelis decurrunt: his verò nundinis paulatim exoleſcentibus, alias deinceps, præterquam in feria quinta poſt Dominicam Lætare, Confluentia non egit uſque ad annum 1747. quo Franciſcus Georgius Comes à Schônborn ſolemnem denuo ac privilegiatum mercatum à feria

ſecunda poſt Dominicam Lætare uſque ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum, & à die 16ta Auguſti uſque ad IV. Cal. Septembris celebrandum indixit; qui, etſi hodiedum continuet, quoad mercatorum tamen emptorúmque confluxum, & quoad intenta ex eo lucra ſeu commoda voto Principis, ac ſpei publicæ non æque correſpondere videtur; ídque potiſſimùm inde, quod Elector Mogonus mercatum ſimilem ad ipſoſmet dies, quibus Confluentia ſuum agere cœperat, altero ſtatim anno in Metropolim ſuam invexerit, nullíſque non ſtudiis omnem adhuc mundum ad eum pertrahere, ſicque Moguntiam Francofurto, ſi non celebriorem, æmulam ſaltem, ſeu parem efficere, ac Germaniæ exhibere conetur.

Alterum privilegium erat jus ſtapulæ; quod mercatores adſtringit, ſuas curru vel navigio ad locum aliquem apportatas merces, antequam eas aliorſum vehant, venales ibi per tempus conſtitutum exponere: quo jure Joannes Badenſis ad annum 1462. exuens Trevirenſia loca, quæ à Boppardia uſque ad Engers ad Rhenum ſunt ſita, Confluentiam ejus compotem fecit, prout videre eſt in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 444.* eo verò jure an aliquando re ipsâ, & quamdiu Confluentinis gaudere licuerit, eadem Hiſtoria non dicit.

Privilegium tertium erat jus ab Henrico IV. anno 1104. ad nonas Junias Sutoribus Confluentinis collatum; quo, quidquid à feſto Natæ Deiparæ Virginis uſque ad feſtum S. Martini

Epiſcopi à Sutoribus exteris, qui calceorum vendendorum gratiâ Confluentiam adibant, in telonio pendi ſolebat, iiſdem Confluentinis Sutoribus ſub hac clauſula adjudicabatur, *pro hoc autem* (: Sutores:) *dabunt telonario & octo Senatoribus bonum paſtum; telonarius autem dabit ſex ſextaria vini, & caſeum, qui manu unâ poſſit levari. Hiſt. cit. to. 1. pag. 482. ſub finem.*

Privilegium *4tum* eſt jus antiquum, & anno 1527. confirmatum à Richardo de Greiffenclau, vi cujus cuilibet Confluentino Scabino, qui domum intrà Confluentiam noviter ædificare reſolverat, hunc in finem, non verò in alios fines vel uſus, duodecim quercus, & totidem fagi ex communi ſylva ſubminiſtrabantur.

Privilegium *5tum* eſt jus quotannis eligendi duos Conſules, quorum unus civium nobilium, alter non nobilium cauſis ac Curiæ præſit. Juris hujus antiquitas colligitur ex ſupplicibus literis, quas Confluentina communitas in cauſa Canonizationis B. Rizæ ſub annum 1265. ad Romanum Pontificem hoc ſub exordio dedit. *Sanctiſſimo Patri Schultetus, Milites, Scabini, & omnis univerſitas Oppidi Confluentini cum omni reverentia & devotione pedum oſcula beatorum*: colligitur quoque ex deciſo Richardi de Greiffenclau, ad annum 1527. ſuper quibuſdam Confluentinorum controverſiis dato; ceu in quo legitur, quod Ordo Equeſtris proprium ibi Senatum obtineat; cujus certè Præſes ſeu Conſul non inferioris, ſed ordinis ejuſdem extiterit.

Privilegia

Privilegia lignandi, venandi, piſcandi, vendendi, emendi, in jus civicum recipiendi, aliáque hujuſmodi, ſi forſitan Confluentibus competant, aut competere exiſtimentur, hìc loci inveſtigare aut exponere, ipſiſque ab-vel adjudicare non noſtrî, ſed illorum eſt, quibus præ nobis eorundem grammatophylacium patet.

CAPUT VIII.

De Confluentina Curia Eccleſiaſtica.

CONfluentiam ſuis à Principibus tam enſe judicari, quàm Stolâ, id eſt, in ſpiritualibus æque ac politicis eorundem juſſa capeſſere, ſive, in utroque foro eorundem ſubſtare dominio, diximus in præmiſſis: at verò, quia, quæ quemlibet alium, ipſos quoque Præſules afficit humanæ conditionis infirmitas, ut prudentiæ ac vigilantiæ ſuæ oculis occurrentia quæque contingere, adeoque ſibi concreditis quoad ſingula, prout contendunt, intendere, adeſſe, ac conſulere non poſſint, hinc ad profana ſive ad politica ritè curanda & agenda, Satrapam, Prætorem, Scabinos, Conſules, Senatores ibi-

dem creari, ſive Curiam ſæcularem inſtitui, jam pridem diſpoſuerunt, prout legere eſt *in cap. 6to.* Reſtat proin, ut & dicamus, an & quos pro ſacris & eccleſiaſticis Confluentiæ emergentibus, vel illuc devolutis negotiis ac cauſis in ſolicitudinis ſuæ partem vocârint, ſive an & quale hìc Conſiſtorium ſeu eccleſiaſticum tribunal erexerint.

Cauſas eccleſiaſticas ante Sæculum XIII. Treviris in Synodo, ſive, ùt nunc dicimus, in Curia Metropolitica, ſive in Conſiſtorio Archi-Epiſcopali à Conſiſtorialibus in unum concurrentibus conſueviſſe decidi, inferimus ex præcepto, quo Godefridus Bullionius, Lotharingiæ Dux, ad annum 1088. Cellam S. Dagoberti ab Arnulpho Comite occupatam Monaſterio Gorzienſi reſtituit; ceu in quo præter alia legitur, quod Monachi ſuper hoc apud Synodum Trevirenſem proclamationem fecerint; quódque hæc Cella ſive Eccleſia judicio Synodali ipſis fuerit adjudicata. Vide Hiſtoriam Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 437.* quo tamen definiendi more ſucceſſu temporis vel abolito, vel exoleto, judiciaria poteſtas manſit deinceps, & uſque nunc reſidet penes ſolum Officialem, prout & ex moderna praxi, & ab olim conſtat ex ſententia, per Officialem Trevirenſem anno 1282. contra Robinum à Coverna, Virum nobilem, prolata, atque relata in mox dictæ Hiſtoriæ *to. 1. pag. 816.*

At verò dum ſubſequentibus annis Limburgum ad Lahnam, Wezlaria, aliáque non pauca,

primùm ad Archi-Diœceſin Mogonam ſpectantia, Veſtrovaldica loca tranſiêre ad Treverica jura; ſicque Archi-Diœceſis noſtra à Moſa & Luxemburgenſibus terris in vaſtum uſque Veſtrovaldiæ tractum jus eccleſiaſticum protendere, ac dicere cæpit, urgentiſſima ratio Balduinum Præſulem circa annum 1324. commovit, Diœceſin tam amplam in duo, nimirum in ſuperiorem & inferiorem partiri, in hac æque ac iſta eccleſiaſticum tribunal erigere, ac cuique proprium Officialem præficere.

Sicut itaque ab olim Trevirorum Auguſtæ, ita hoc à tempore Confluentiæ ſuus quoque Magiſtratus eccleſiaſticus adfuit; cujus Officialis, Sigillifer, Secretarius, & Aſſeſſores quondam in Capella D. Martino Sacra, & Eccleſiæ S. Florini connexa, convenire, ac decidenda decidere ſoliti, ea temporibus noſtris in Seminario ſive in Alumnatu diebus horiſque determinatis expediunt: à quorum tamen ſententia in cauſis, quæ quoquo modo ad politica ſeu civilia ſpectant, ad Parlamentum, ſive ad Judicium aulicum; in merè autem eccleſiaſticis ad Curiam Trevirenſem appellationi locus conceditur.

Cæterùm eadem ratio, quæ Balduinum induxerat, ut diviſis utriuſque Diœceſeos finibus (: hi ad rivum Eltz prope Moſelkern ſuos limites habent:) tribunalium eccleſiaſticorum unum Treviris, alterum Confluentiæ collocaretur, ſuaſit ſimiliter & introduxit tunc morem, qui ab Archi-Epiſcopis quotannis petebat, ut ad

conferendos Sacros Ordines Confluentiam ſemel deſcenderent; prout Joannes Trithemius ad annum 1324. in Chronico Hirſaugienſi teſtatur: prout quoque colligere licet ex iis, quæ cap. 4to à nobis ſunt dicta de Jacobo, hujus nominis Archi-Epiſcopo 3tio.

Porro Confluentinam hanc Curiam ab illa Trevirorum non ſolùm aliam, ſed & prorſus independentem ab olim fuiſſe, liquet tum ex ejuſdem antiquiſſimo procedendi more, tum & ex Cunonis Archi-Epiſcopi literis, per quas Joannes Herbord Linzius ad annum 1374. ab Officialatu Confluentino ad Trevirenſem ſub hac formula transferebatur. *Committimus tibi Officialatum Trevirenſis noſtræ Curiæ, & cenſuram eccleſiaſticam, cum plenitudine juris, nolentes tamen per hoc juriſdictioni Curiæ noſtræ Confluentinæ in aliquo derogari.* Prout autem ambo hæc tribunalia diſtinctâ & ordinariâ pollebant authoritate, ſic & ambos eorundem Judices uſque ad Franciſci Ludovici Neoburgici tempora extitiſſe ſemper, ac exiſtimatos fuiſſe veros, propriéque dictos Officiales, convincitur ex pariformitate ſtyli, quo ipſos Archi-Epiſcopalia decreta jam inſtituunt, jam compellant, jam inſtruunt, jam & reformant, prout videre eſt in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 645. to. 3. pag. 48. 49.* Imò poſt ejuſdem tomum 2dum in Indice 3tio juridico & onomaſtico ſub lit. O. dicitur expreſsè; *Officiales Archi-Epiſcopi Trevirenſis duo ſunt*, nimirum apud Confluentiam unus, alter in Trevirorum Auguſta.

Dixi, *uſque ad Franciſci Ludovici Neoburgici tempora*: hic námque in Hiſtoria Trevir. Diplom. invenitur primus, qui in ſuis ad annum 1719. editis decretis Confluentinam eccleſiaſticam Curiam, præter omnium Anteceſſorum ſuorum morem, Commiſſariatum Trevirenſis Officialatûs nuncupandam, tenendámque putavit, ex ejus fortaſſis conſilio, qui tunc in ſacratioribus ſecretiore, non ignotâ tamen, pollebat authoritate.

Cæterùm cui hac in Curia prima dignitas primùm obtigerit, quíſque huic proximè in eadem dignitate ſucceſſerit, nec ex Hiſtoria Trevirenſi Diplomatica, nec ex Annalibus Browerianis eruere licuit; detexêre tamen nonnullos, qui ſuâ poſthac prudentiâ, ſcientiâ morúmque integritate huic gradui ſplendorem decorémque dederunt, & ſunt ſequentes.

Joannes Herbord Linzius, anno 1388. Cunonis Archi-Epiſcopi ad Papam Legatus.

Joannes Francofurthius, anno 1443. à Jacobo I. Baſileam ad Synodum miſſus.

Joannes Empel, Juris utriuſque Doctor, anno 1472.

Joannes Gremam ex Nickenich, Juris utriuſque Doctor, anno 1492.

Mathias Saarburgenſis, Juris utriuſque Doctor, anno 1535. ad Officialatum Trevirenſem tranſlatus.

Joannes Gemminger, Canonicus ad S. Florinum, anno 1535.

Bernardus Dorning Weſtphalus, Juris utriuſ-

que Doctor, & Canonicus ad S. Florinum; obiit anno 1545.

Georgius Lemberget, Decanus ad S. Florinum; obiit anno 1560.

Cuno ab Homburg, Juris utriuſque Doctor, & Decanus ad S. Florinum; obiit anno 1581.

Mathias Keller, Juris utriuſque Doctor, Ss. Theologiæ Licentiatus, Canonicus ad S. Florinum; obiit anno 1597.

Joannes Werl, Juris utriuſque Doctor, Decanus ad S. Florinum; obiit anno 1628.

Joannes Fladt, Juris utriuſque Licentiatus, Decanus ad S. Florinum; obiit anno 1658.

Joannes Henricus ab Anethan, Juris utriuſque Doctor, poſt benè in Officialatu geſta, primùm ad Hildeſienſem, dein ad Trevirenſem, demum ad Colonienſem Suffraganeatum promotus.

Valentinus Scheiden Confluentinus, Canonicus ad S. Florinum, & Paſtor ad Beatam Virginem; obiit anno 1692.

Joannes Finger Confluentinus, Decanus ad S. Florinum; obiit anno 1711.

Joannes Hugo à Gaërtz Confluentinus, ex Officiali Suffraganeus Oſnabrugenſis; obiit anno 1716.

Joannes Henricus Jacobi ab Ehrencron Confluentinus, ex Conſiliario Aulico Clericus & Officialis; obiit anno 1716.

Joannes Conradus Schwang Horchemius, Canonicus ad S. Florinum, & Paſtor ad Beatam Virginem; obiit anno 1737.

Joannes Nicolaus ab Hontheim Trevir, Juris utriuſque Doctor, Canonicus ad S. Florinum, ad S. Simeonem Treviris, & Monaſterii in Maifeldia; anno 1748. ad Suffraganeatum Trevirenſem evectus.

Caſparus Radermacher Bonnenſis, Canonicus ad S. Simeonem Treviris, & Bonnæ in Eccleſia Archi-Diaconali Decanus. Vid. Browerus *Lib. 18. Num. 76. Lib. 19. Num. 63.* & mox dictus Illuſt. Honthemius in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 8. 332. 550. to. 3. pag. 216.*

CAPUT IX.

De Eccleſia S. Florini.

HIerarchico, politicóque flore in tribunalibus Confluentinis ſpectato, digredimur nunc ad ſacras, Deóque ac Divis conſecratas Ædes, in quibus Confluentia ſua Deo homagia præſtat, ſacrificia lirat, vota cum orationibus fundit, fidei myſteria pandit, palæſtras virtutibus erigit, ac per hæc, ceu per idoneos largóſque canales, in Principem ac Civem cœleſtia dona derivat: Cœlum námque, dum fideles Dei famulos, & vanos ſæculi filios eadem intra mœnia eodem jure gaudere, ac more civium convivere videt, parata his mala iſtorum gratiâ ſolere

quandoque comprimere, ſuáque dona in hos æque ac iſtos profundere, ſacræ paginæ docent. *Gen. 18. 39. Job. 42. Act. 27.*

Narrationis itaque telâ ad delubra, & ad aras uſque perductâ, primo nunc loco conſiderandam, ac deſcribendam aſſumimus Collegiatam D. Florini; ceu cui inter alias Confluentiæ ſuſcitatas Eccleſias locum Principem ex titulo antiquitatis competere, tradit Browerus, dum *Lib. 9. Annal. Trevir. Num. 107.* dicit: *Hæc ab uſque Agritii & Helenæ temporibus originem arceſſit: indéque rear, Ædem hanc eſſe cæteris antiquitate non poſtferendam.* Quæ Broweriana opinio an ſit, vel non ſit ſufficiente probabilitate ſuffulta, ex capite mox ſecuturo pateſcet.

Eccleſia hæc, Virgineæ Dei Matri quondam dicata, ejuſdémque clericale Collegium Monaſterii nomen gerebant; cujus Rector Abbas, Clerici autem appellabantur Fratres B. Virginis; hi in communitate viventes, paſcebantur in uno triclinio, unâque dirigebantur regulâ uſque ad annum circiter 973. hæc námque ſub tempora, ſicut Canonici Metropolitanæ Baſilicæ, qui quoque in communi ſub regula præſcripta viventes, Fratres S. Petri nuncupabantur, abjectâ taliſmodi vitæ formâ, diſtributíſque inter ſe præbendis, regulares eſſe ceſſarunt, ita & Florinenſes noſtros Canonicos tranſiiſſe ad ſimile vitæ genus, colligitur ex Trithemio *in Chron. Hirſaug. to. 1. pag. 116. videantur quoque Hiſt. Trev. Diplom. to. 1. pag. 171. 281. 354. Annales Brow. Lib. 11. Num 4.*

Religioſum hoc, ac inſigne Collegium à B. Mathilde, Magni Ottonis Matre, largis muneribus; ab ipſomet Ottone luculentis prædiis: ab Hermanno Sueviæ & Alſatiæ Duce Humbacenſibus decimis: ab Illuſtri Viro Cunone de Confluentia pluribus fundis, agris, ac vineis: ab Henrico hujus nominis Imperatore II. Gillenfeldio per-quam quæſtuosâ Villâ: ab evergeta nobis non comperto Obermendig & Volckersfeldt, magni ſimiliter compendii villis: à Brunone Trevirenſium Præſule Baſilicæ ſtructurâ, prout nunc eſt, auctum, ditatúmque legimus in Annalibus Browerianis *Lib. 9. Num. 107. Lib. 11. Num. 4. Lib. 12. Num. 17. Lib. 13. Num. 73.* Item in Hiſtoria Trevir. Diplom. *10. 3. pag. 744.*

Quæ locupletiſſima Hiſtoria, ſicut & mox dicti Annales hac de Baſilica ſequentia quoque memorabilia produnt, & quidem *1mò.* Quod circa ſæculum decimum, poſito Mariano titulo, illum S. Florini, Sacerdotis Rhæti, Confeſſoris ſanctitate ac miraculis clari, cum ejuſdem lipſanis, utì ſupponendum, aſſumpſerit. *Brow. Lib. 11. Num. 5.*

2dò. Quod fundum, cui nunc inſidet Teutonica domus, illi ſubſtraverit pia largitas hujus Collegii, & eâ quidem ſub lege, ùt, ſi quis Florinenſium religionis ergo terram ſanctam inviſeret, gratum ibi, paratúmque ſemper hoſpitium apud Teutonicos inveniret: & ut, ſi quis ipſorum apud Confluentes in egeſtatem incideret, à Teutonicis hoſpitaliter ſuſciperetur, *Brow. Lib. 15. Num 114.*

3tiò. Quod, quia temerarii ac tumultuoſi quidam Cives ſignum crucifixi Chriſti, ac S. Florini effigiem à muris Eccleſiæ hujus avellere, atque dejicere, nec non quaſdam ad ipſam pertinentes ſtructuras infringere ac demoliri præſumpſerant, Joannes Badenſis ambobus Confluentinis Conſulibus, ſex Senatoribus, Civibúſque nonnullis injunxerit, ut à ſe, coram frequentiſſima, & idcirco coacta Nobilitate, in medio læſæ Eccleſiæ, flexis genibus, admiſſam culpam deprecarentur; quod & morigerè præſtitum, reportatámque ab ipſis veniam, perhibet Illuſt. Honthemius in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 467. 470.*

4tò. Quod Sixtus IV. Canonicalem Baſilicæ hujus præbendam unierit, ac incorporaverit Univerſitati Trevericæ: quódque eâ gaudens teneatur quolibet anno ad viginti quinque Lectiones publicas Jurium Candidatis habendas. Hiſt. mox cit. *to. 2. pag. 524.* Ubi tamen adverte, quod ex particulari Capituli & Univerſitatis conventu huic annuè nonniſi 40. Imperiales pendantur.

5tò. Quod Eminentiſſimus Nicolaus Cuſanus, S. R. E. tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, Epiſcopus Brixinenſis, Apoſtolicæ Sedis in Græciam, Galliam & Germaniam à latere Legatus, in hac etiam Eccleſia Decanatûs dignitate claruerit.

6tò. Quod Capitulum Metropolitanum ob diſcordias, inter ipſum & Senatum Populúmque Trevirenſem obortas, non in ordinaria

Aula capitulari, ſed in hac Æde Jacobum ab Eltz ad diem VII. Aprilis Archi-Epiſcopum renuntiârit. *Browerus lib. 22. num. 1.* Ea, quæ in Geſtis Trevirorum leguntur, Jacobum nempe Witlichii in Arce Ottenſteiniana Archi-Præſulem renuntiatum fuiſſe, hæc, inquam, intelligi petunt; quod Canonici Metropolitani antecapitularia ibidem egerint, ſive curârint, quódque ſub his eorundem potiſſimi in favores Jacobi ſuis jamdum votis apertius propendere ſint viſi: formalem námque & canonicam electionem dilatam, actámque fuiſſe in præfata Baſilica, liquet tum inde, quod actus tam gravis & ſacer non in arcibus, ſed in inſignibus Eccleſiis celebrari depoſcat; tum &, quod ipſimet Cœli prodigioſum ei jubilum in atrio Eccleſiæ Florinenſis præmiſerint, prout l. c. ſic à Browero deſcribitur. *Eodem paulò poſt auroram albeſcente* (: electionis :) *die, dum eſſet tranquilla, ſerenáque Cœli facies, diſpulſis tenebris, pleniſſimâ luce aëre toto diffusá, repentè nubecula quædam extitit ab Oriente in Occidentem tripudio quodam huc & illuc ſe trajiciens cum fragore, non terrifico quidem illo, quem in tonitru ſentimus, verùm ſedatiore; íſque ſtrepitus variis ſubinde locis exauditus eſt, ſed & Cœlo vibrante volitantes conſpecti paſſim ignes, ex quibus non obſcura facula ſummo de Cœlo lapſa, Confluentiæ in foro, ubi conciderat, ſubitò evanuit.*

7timò. Quod Jacobi Badenſis, Joannis Iſenburgici, & Joannis à Petra Archi-Epiſcoporum exuviæ, ſingulæ in ſuis loculis conditæ, com-

munem in ea reſurrectionem exſpectent. *Brow. lib. 20. num. 41. lib. 21 num. 93. 144.*

8*tavò.* Quod ad annum 1688. quo furor Gallicus Confluentiam igniariis ſphæris vaſtabat, hæc quoque Baſilica iiſdem ſub fatis gemuerit.

CAPUT X.

De Collegiata S. Caſtoris.

UT & fundamenta & faſtigium hujus Eccleſiæ ſimul liceat ſub conſpectum adducere, Lambeciana ad Theganum Appendix nobis apprimè ſervit, dum dicit: Eodem anno (: *nimirum 836* :) Hetti, beatus Trevirenſis Archi-Epiſcopus, divino juſſu inſtinctus, aſportavit corpus S. Caſtoris de loco, in quo antea requieſcebat, qui vocabatur Caradona, ad locum, qui vocabatur Confluentes, ubi Moſella in Rhenum intrat, ad Monaſterium, quod ipſe ſupradictus Archi-Epiſcopus à fundamento conſtruxerat, ſicut ei in viſu præcepit Maternus, qui erat tertius Trevirenſis Archi-Epiſcopus; & in feſtivitate S. Martini venit ſanctum corpus ad Confluentes cum magno honore: & in craſtinum die Dominico conſecravit ſupradictus Pontifex illam Eccleſiam in honore S. Caſtoris,

& omnium Sanctorum Confeſſorum; & poſt conſecrationem ſuſcepit ſanctum Corpus, & collocavit illud in Eccleſia honorificè, ſicut dignum erat. Octavo verò die poſt conſecrationem, qui eſt XII. Kalendas decembris, die Dominico venit Dominus Imperator (: *Ludovicus Pius* :) cum Conjuge & Liberis, & poſt Miſſarum ſolemnia obtulit ibi maxima donaria in auro & argento, & manſit ibi duos dies, & totidem noctes; *ita antedicta Appendix* : cui à Browero ſubnectuntur ſequentia; quod nempe, ſicut religionis zelus ad erigendum tam magnificum opus Archi-Epiſcopo conſilia & ſtimulos dederat, ita illius non modò profectus, ſed & prima initia Ludovici Auguſti pietas munificâ manu promoverit, promotum verò & in faſtigio poſitum Popponis Trevirorum Antiſtitis, ac B. Rizæ, Covernanæ Dominæ, pia profuſáque largitas inſigniter locupletarit. *Vid. Annal. Trevir. lib. 8. num. 85. lib. 11. num. 84. item Hiſt. Trevir. Diplom. to. 1. pag. 765.*

Miniſtros ſeu Alumnos hujus Eccleſiæ regularem primitus vitam in clericali communitate duxiſſe, inde ſat clarè dignoſcitur, quod eorum domicilium, prout Appendix Lambeciana teſtatur, ſub nomine Monaſterii venerit: quódque ad annum 816. Aquiſgrani celebratum Concilium ordinaverit inter alia, monendos & adſtringendos eſſe Canonicos, ut juxta regulas, jubente Imperatore congeſtas, in poſterum vitam componerent; quibus de regulis Ademarus Cabanenſis *to. 2. pag. 158.* hæc habet.

Ludovicus juſſit fieri regulam Canonicis, excerptam de diverſis Patrum Scripturis, decrevitque eam obſervandam à Canonicis; & ut, ſicut Monachi reſpiciunt ad librum regulæ S. Benedicti, ſic prælegant Canonici inter ſe librum vitæ Clericorum; quem librum Amalarius Diaconus, ab Imperatore juſſus, collegit ex diverſis Doctorum ſententiis. Hac autem à vitæ methodo ſicut Caſtornenſes Canonicos ſub annum 973. defeciſſe, perhibet Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 396.* ita Browerus in Annal. *lib. 19. num. 87.* refert; quod Jacobus Sirckius circa annum 1451. neceſſaria & ſalutaria iis inſtituta præſcripſerit, quódque per ea fuerint ad obſervantiora reducti; imò quod & providentia Jacobi ſancierit, ùt, ſi quem illorum hæc contra ſtatuta, vel modis aliis publicè peccare contigerit, pœna, taliſmodi exceſſui debita, nec à Decano, nec à quibuſvis aliis, ſed à ſe, & à ſucceſſoribus ſuis ſit imponenda.

Hac præterea de Baſilica hæc apud Scriptores memorabilia proſtant; quod nimirum trium Regum & undecim Epiſcoporum conventus, ad annum 860. in eadem coactus, ipſam celebrem & ubique nominatam reddiderit.

Quod reconditæ in ea Cunonis & Werneri Archi-Epiſcoporum exuviæ, nec non B. Rizæ, Covernanæ quondam & ex regio Francorum Sanguine deſcendentis Dominæ tumulus, ab ipſamet intrà illam electus, ejus nomini ſplendorem cum prærogativa concilient.

Quod inimica Gallia, dum anno 1688. glo-

bis igneis in Confluentiam ſæviit, Ædem hanc, ob quieſcentem in ea Francicam Principem, in pretio & præ oculis religioſis habuerit, ipſámque non modò, ſed & ejus viciniam ſalvam & inambuſtam ſervârit.

Quod Sixtus IV. unum Canonicatum, unámque integram Eccleſiæ hujus Præbendam Univerſitati Trevirenſi unierit, annexuerit, ac incorporârit; ex particulati autem Capituli & Univerſitatis conventu hæc annuè non recipiat niſi 20. Imperiales.

Quod denique in ejus Sacrario Carolus è Ducibus Lotharingiæ unanimi Capituli Metropolitani conſenſu Joanni Hugoni fuerit Coadjutor adjunctus.

His breviter de utraque Collegiata Confluentina relatis, reſtat nunc diſcutienda & decidenda quæſtio, cui earum præferentia competat? Ad quam non incongruè licet reponere; quod, cum in inſtrumentis publicis, nec non in Electoralibus, hinc inde in Hiſtoria Trevir. Diplom. extantibus, chartis Florinenſes ſemper loco primo, altero Caſtorenſes ponantur, de his ſentiri, dicíque poſſit, quod iſtis vel titulo antiquioris originis, vel aliis ex cauſis, quæ nos latent, præferentiam debeant; indéque & in contextu hujus operis Florinenſi locum primum, ſequiorem Eccleſiæ Caſtorenſi dicavimus. At verò ſi hoc ſuper dubio Hiſtoriæ Trevirenſis Diplomaticæ ſenſus petatur, aſſeret utique, Caſtorenſi Collegio præ Florinenſi locum Principem ab antiquitate competere, eò quod ta-

bulæ, ad annum 1358. à Magiſtratu Confluentino conditæ, diſertiſſimè dicant, Canonicos ad S. Caſtorem eſſe antiquiſſimos Confluentiæ cives. *Vid. mox dicta Hiſt. to. 2. pag. 207.* Si denique conſulatur Browerus, is quoque comperietur ſat apertè pro cauſa Caſtorenſium ſtare, cum de his jamdum ad annum 837. agat, & in laudes eorundem excurrat; Florinenſium autem memoriam non faciat, niſi ſæculo ſequenti, videlicet ad annum 948. qui narrationis ordo utique præpoſterus foret, ſi hi ſuo ab ortu iſtis extitiſſent priores: neque obſtant, quæ *lib. 9. num. 107.* refert; *Hæc Ædes, nempe D. Florini, ab uſque Agritii & Helenæ temporibus originem arceſſit:* ea námque vacillare videntur, dum alibi, nimirum *lib. 11. num. 4.* dicit; *Cujus Ædis de primis initiis ut accuratè diſſeramus, haut, licet per teſtes, quibus antiquitas caret, idoneis.* Benevolus Lector ex his, pro utraque parte adductis, litem hanc dirimere noverit.

His eouſque typo, noſtræque reviſioni commiſſis, literis cujuſdam Canonici Florinenſis; quod hodiedum, dum utriuſque Collegiatæ Canonici in ſolemnitatibus, aliiſve occaſionibus conveniunt, inter eos præcedentiæ locus non detur, ſed quod mixtim ſtent aut incedant, ita tamen, ut qui ſenior eſt, locum priorem, poſteriorem junior, hic ſiniſtram, iſte dexteram teneat. *Hæc ille.* Quibus nos ſubnectimus, quod Collegiata S. Caſtoris à longis retrò temporibus

poribus ſit quoque Parochialis Civium, quos inferior, ut ajunt, regio civitatis complectitur.

CAPUT XI.

De Eccleſia B. Mariæ Virginis.

SUperior Civitatis regio Parochialia ſua hac ab Æde depoſcit: cujus origo etſi nec ab Hiſtoria Trevirenſi Diplomatica, nec in Annalibus Browerianis prodatur, ipſam tamen à multis retro ſæculis cum utraque Collegiata & in flore & ſpectabili loco ſtetiſſe, inferimus ex mandato, quo Arnoldus Archi-Epiſcopus ad annum 1182. Saulino ibidem Plebano impoſuit, ut, quotquot Trevirenſes S. Simeonis Canonicos in Confluentini telonii juribus quoquo modo turbare, vel impedire præſumpſerint: excommunicatos è ſuggeſtu pronuntiaret. Idem inferimus ex Apoſtolicis literis, quibus Urbanus IV. ad annum 1262. Conrado ſimiliter ibidem Parocho commiſit, ut ſuper telonio, quod Henricus Vinſtingius noviter ad Rhenum ſtatuiſſe inſimulabatur, quódque ipſi in Romana Curia notam malam cum negotiis tædioſis pepererat, per ſe, vel per ſubſtitutum inquireret, atque comperta eidem Curiæ per literas ſignificaret.

His itaque Eccleſiæ hujus vetuſtatem, quin & præſtantiam ſufficienter probantibus, manet nunc enodanda quæſtio; an ergo illius origo in tanta caligine lateat, ut de ipſa nil omnino ſtatui, ſeu calamo valeat proferri? Ad quæ reſpondendum cenſemus: repetenda hìc eſſe principia, in capite primo præſignificata: in antiquis nempe, in quibus congruæ probationes decedunt, locum & fidem adminiculis non imprudenter poſſe concedi: de rebus quoque, quas temporum obſcuravit antiquitas, rationabilem conjecturam in hiſtoria texenda ſufficere; quibus præſuppoſitis, paſſimque admiſſis, veriſimilem opinionem aſſerimus, quæ ſuſtinet, originem Eccleſiæ B. Mariæ Virginis referendam eſſe ad tempora, in quibus Confluentia paganiſmum exuens, Chriſtum liberius pleniúſque induere cœpit. Cujus ratio eſt; quia, ſicut nemo dubitat, quin Confluentia, extra lucem evangelicam poſita, Deaſtris ſuis non in angulo, nec in imo, ſed, prout mos gentilibus erat, erexerit, & conſecraverit fanum in eminentiore ac ſpectabiliore loco, ita quoque pro indubitato tenendum, quod ad fidem Chriſtianam traducta, ipſum hoc fanum, quia alia ei Eccleſia non erat, initiaverit Chriſtianis myſteriis: quódque, quemadmodum Roma Deorum omnium, & Bavaria Vetere-Oetinganum ſeptem planetarum fanum, ita quoque Confluentia priſtinum ſuum delubrum eſſe fecerit Sacram Ædem ſub nomine ac præſidio Virgineæ Dei Parentis; ſicque eminentior Civitatis Confluentinæ locus, prout

antea Deastris, ita deinceps Cœli terræque Dominæ fuerit, maneátque dicatus: in quo demum religio civium, Æde vetere per tempus exesâ, nobilem & peramplam, prout nunc conspicitur, Basilicam assurgere fecit. Cujus dein campanilia cum campanis anno 1688. Gallicus Vulcanus absumpsit; ejus verò plebaniam Franciscus Ludovicus Neoburgicus Seminario Archi-Episcopali annexuit; ita ut nunc Alumnatûs seu Seminarii Rectoratus, ac Pastoratus ad D. Virginem combinentur in eadem persona.

CAPUT XII.

De Hospitali Pauperum, de Domo Teutonica & de Seminario Clericali.

HOspitali pauperum, quod Annales Trevirenses S. Nicolao Episcopo consecratum dicunt, pia largitas Brunonis Archi-Episcopi circa annum 1110. fundamenta cum fastigio dedit; ipsúmque hoc novum opus, nec non & munificentiam, in id à præfato fundatore collatam, habuêre rata Summæ Ædis Trevericæ tum Advocatus, tum & Præpositus, nec non Ecclesiarum S. Florini, & S. Castoris Præpositi,

prout legere eſt in Browerianis Annalibus *lib. 13. num. 25.* & quia Florinenſes Canonici religioſo huic operi liberaliter ſubſtraverant fundum, hinc ipſos Bruno Superintendentes, & Procuratores ejus inſtituit: quod & munus ſub congrua deinceps juriſdictione portârunt uſque ad annum 1217. quo hoſpitalis hæc domus vetuſtate fatiſcens, tranſlata fuit in vicum, cui nomen Lôhra. *Browerus lib. 15. num.* 114. Abhinc autem anno 1718. rurſus amota, nunc ſub ampliore forma viſitur in loco, qui Alumnatui Archi-Epiſcopali contiguus, aliàs ad Sanctimoniales Auguſtinianas, à S. Barbara nuncupatas, ſpectârat.

Ordo Teutonicus, ùt primum inclareſcere, ac per Europam ſe diffundere cœpit, alumnos ſuos terris Trevirenſibus quodammodo præ cæteris dedit, utique, quia Henricus Waldpott à Baſſenheim, primus eorundem Magiſter, in Treviris, & quidem non procul à Confluentibus, natalem ſuam domum habebat: unde & circa annum 1212. vix apud noſtros conſpecti, mox quoque recepti à Joanne I. dein ſub Theodorico II. ad annum 1217. ſtabilem adepti ſunt ſedem in Florinenſibus fundis, prout ſupra cap. 9*no.* retulimus

Inſtituti hujus cultores collegialiter ſeu conventualiter hìc quondam vixiſſe, ac indies, prout nunc Mergenthemii, & Trajecti ad Moſam fieri novimus, regulariter celebrâſſe divina, eruitur ex iis, quæ in Petri Majeri manuſcriptis, Richardo de Greiffenclau ad annum 1537.

dedicatis, leguntur; quod nimirum Domini Teutonici cum cætero Confluentino Clero proceſſionem tragicam, quam Confluentia temporibus priſtinis, ob ſtragem ſuis civibus à Comite Weſterburgico, & ab ejus confœderatis illatam, Feriâ 6tâ poſt Dominicam Reſurrectionis agebat, comitari conſueverint. *Browerus in Annal. lib. 15. num. 114. Hiſt. Trevir. Diplom. to. 2. pag. 173. to. 3. pag. 996.*

Franciſcus Ludovicus Dux Neoburgicus, Trevirorum, Vangionum, & Sileſiorum Antiſtes, nec non Supremus Ordinis mox dicti Magiſter, majorem Dei gloriam, ac uberiores ſui gregis profectus præ oculis, ac in curis paſtoralibus gerens, anno 1723. Judicibus eccleſiaſticis opportunam Curiam, junioribus Clericis ad ſacras ſcientias, & exercitationes diſcendas palæſtram, quam Alumnatum ſeu Seminarium dicimus, emeritis verò Parochis promeritam Sedem, uno ſub tecto coaſſurgere fecit, volens inſuper & ordinans, ut, qui Plebanus eſt ad B. Virginem, ſit quoque ſeniorum & juniorum ibidem commorantium Præſes: quin & ejuſdem verè magni Archi-Præſulis manus, cui & ſuam Carolus Caſparus Comes de Petra jungebat, Orphanotrophium, multo Confluentinorum ſolatio, juxta mox dictum Seminarium poſuit. *Vide cap. 4. n. 16.*

CAPUT XIII.

De Monte Sancti Beati.

SAcra & religioſa domus, quæ in hoc olim Monte florebat, in miniſtris, in ædificiis, & in titulo alia prorſus erat ab Eccleſia & Clauſtro, intrà quæ nunc Carthuſiana familia in Dei laudibus occupata conſpicitur: tunc námque ſub invocatioue ac patrocinio Beatorum Martyrum incolebatur, ac curabatur à ſæcularibus Clericis, & quidem, ùt Hiſtoria Trevir. Diplom. ait, à Canonicis S. Caſtoris; primúmque S. Beati initiata eſt titulo, quando ad annum 1017. ſacra Confeſſoris hujus oſſa ex Monaſterio B. Mariæ ad Martyres, prope Trevirim ſito, Popponis Archi-Epiſcopi ſtudio ad ipſam deportabantur.

Canonicorum Collegium ſub annum 1153. Hillino Præſulatum tenente, Familia Benedictina excepit: à qua dum anno 1238. Eccleſia in novam, ſive in monaſticam formam redigitur, noviter etiam ab Henrico Epiſcopo Oſilienſi ad annum 1242. Deiparæ Virgini, & SS. Confeſſoribus Servatio & Beato cæremoniis conſuetis dicatur. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 116.* Hos inter Monachos & Caſtorenſes Canonicos ſuper agrorum finibus, nec non

ſuper quibuſdam poſſeſſionibus aliis acriter obortum litigium Hillini prudentia ſopiit, dum à Confluentinis civibus omnia accuratè perquiri, montem dimetiri, ac pro re comperta ſuum cuilibet tum linqui, tum reddi præcepit. Brow. *lib. 14. num. 97.*

Iiſdem quoque Monachis lis aliquando erat cum ſacris ac nobilibus Inſulæ Superioris Virginibus; affirmabant enim iſti, ſibi in ipſas ſuperioritatem, ſive monaſticam juriſdictionem competere; oppoſitum tenebant illæ: dumque hac in cauſa crebrius ad fotum Archi-Epiſcopale pulſatur, dum ambæ partes jam hæc, jam iſta ex ſcriniis documenta depromunt, Theodoricus II. his vix unquam finiendis litibus materiam ſubtrahendam exiſtimans, dicta demum documenta reſcidit, abolevit, ac ſanctimoniales in ſtatu priſtino quietè linquendas decrevit. *Brow. lib. 15. num. 109.* Interim prout hanc parthenoni gratiam, ita & Monachis, integrè tunc obſervantiam Benedictinam colentibus, inſignem favorem impertiit, dum nimirum omnia eorundem bona, condito ad annum 1215. diplomate, contra quoſcumque protexit, ac præmunivit.

At verò dum ſerior ætas Monachos hos à monaſtica diſciplina deflectere, laxioráque ſectari conſpexit, Balduinus iis amotis, duodecim rurſus Canonicos, ac demum, dum & hi hujus loci ſolitudinem nauſeant, ac difficilia multa cauſantur, Carthuſianos ad annum 1331. ſubſtituit: quorum dein Cœnobio, quas gratias

Carolus IV. Auguſtus contulerit, Browerus *lib. 17. num. 167.* ſic refert, *Nam & tutela loco à vicinis oppidis, Confluentiâ, Boppardiâque, conſtituta, & immunitas data, Rheno, Mosâ, Vahali, Iſalâ, Moſellâ, Mœno, citra telonii penſum quâque commeandi.* Porro Sacellum effigians Chriſti ſepulchrum, nec non Dominicæ paſſionis myſteria repræſentantes imagines, quæ in orientali montis hujus latere tum ſculptæ, tum pictæ cernuntur, Confluentinorum religio paulatim ibidem expoſuit, ac ſanctis ea acceſſibus crebrius per annum venerari conſuevit.

His hoc de monte ex Hiſtoria Trevirenſi Diplomatica, nec non ex Chriſtophoro Browero depromptis, ſupereſt enodanda quæſtio; an non per literas, quibus Henricus II. ad annum 1018. Popponi Archi-Epiſcopo Confluentiam cum quapiam Abbatia donavit, dicens; *Trevirenſi Eccleſiæ quandam noſtri juris Curtem, nomine Confluentiam, & Abbatiam ſitam in Pago Trichire tradimus, atque firmiter donamus.* An non, inquam, Henricus per hanc Abbatiam intellexerit Eccleſiam & Clericale Collegium, quæ tunc in eodem monte florebant? Ad quod noſtra reſponſio idcirco eſt affirmativa; quia Eccleſiæ, quæ à Scriptoribus in quæſtionem hanc adductæ leguntur, nonniſi duæ ſunt, ſcilicet illa Moſæ-Trajecti ad S. Servatium, & Confluentina ad S. Florinum; de neutra verò harum affirmari poſſe, quod in præfata donationis charta fuerit per Imperatorem intenta, inde ſat liquidò conſtat; quod inprimis Tra-

jectenſis extra pagum Trichire, ſive Trigorium ſit notoriè ſita: dein quod non appareat, cur Henricus Eccleſiam D. Florini, & non inſimul Collegiatam S. Caſtoris Archi-Præſulum eſſe voluerit: ad hæc; cur Imperator omnem prorſus Confluentiam, & in hac totalitate Collegiatam quoque S. Caſtoris Archi-Epiſcopo tradens, ſolam & unicam Eccleſiam Florinenſem exceperit, ac quaſi quid ad communitatem Confluentinam non pertinens, ſub nomine Abbatiæ ſpecialiter exprimendam aſſumpſerit, cùm tamen iſta ætas Caſtorenſem æque ac Florinenſem Ædem Abbatiam nuncupare conſueverit, prout colligitur ex iis, quæ *à Miræo in Diplom. Belg. lib. 2. not. 1. & à Molano de Canonicis lib. 2. cap. 5.* traduntur? Conſequens proinde videtur; quod per Abbatiam, in Pago Trichire ſitam, Eccleſia Montis D. Beati, quæ ſitum ſuum extra Confluentiam habet, veniat intelligenda; cujus Sancti venerabiles exuviæ, dum anno 1017. illuc fuerant per Popponem tranſlatæ, anſam utique Imperatori præbuerant, ad annum poſterum Eccleſiæ illius dono Popponem lætificandi. Cæterùm quid hæc vocula Pagus Trichire, ſive Trigorius denotet, dictum eſt *in cap. imo.*

Opellâ hâc ad finem uſque perductâ, imbuimur quaſi poſthumâ, & hìc aptè depromendâ notitiâ: quod nempe, dum anno 1734. Arx Trarbacenſis, ſuis jam in ruinis ſepulta, gallico cingebatur obſidio, ſubierit Confluentiam vehementiſſimus timor, ne rebus ibidem perditis,

ipſa dein peteretur & perderetur eâdem vaſtatrice manu; unde clam ac palam non erat audire niſi alta ſuſpiria, in horas centuplicata lamenta, ac Superos compellantia vota: nil erat cernere niſi labra pallentia, confuſa negotia, tremuláſque manus ſub convaſandis & deportandis familiaribus rebus vel ad camerata, vel ad alia diſtantiora loca. Elector ſui populi commiſeratione perculſus, illíque in perſona ſe ſiſtens, totus advertebatur in eo, ut animos dejectos erigeret, lachrimas promiſſis abſtergeret, ac benedicente manu, quam ſurſum piâ mente levabat, trepidantia corda firmaret.

Poſt hæc, ne arbores & hortenſes ædiculæ, quæ campum ex parte meridionali complebant, inimicis copiis munimini vel tutamini forent, Electoralibus juſſis diruuntur hæ, ſucciduntur iſtæ: quin &, qui Electori à ſecretioribus epiſtolis erat, deſtinatur in montem S. Beati, indicátque ejuſdem Priori; murum clauſtralem, utpote obfuturum urbi, hoſtibúſque profuturum dejiceret: cui is; quantumvis mei non ſit, Cœnobii clauſuram infringere, aut res ejus quoquo modo diſperdere, nec verbum tamen, neque factum opponam, ſi quis alius, quod præcipitur, executioni mandârit: qui interim ſpe firmâ ſuſtentor, quod Monti noſtro nec defutura ſint Superorum præſidia, nec ad illius damna concurſura ſit cuivis nota, & ubique celebrata Eminentiſſimi noſtri clementia.

Adeſt poſtridie militiæ Confluentinæ Præfectus cum duobus Architectis bellicis: dúmque

montem omnem oculis attentiſſimis luſtrant, ait Commendans; ſi murum cum contiguis ſtructuris dejicimus, ſpatia præparabimus hoſti, in quibus aggeres erigi, & tormenta bellica poterunt ad noſtra detrimenta plantari. Poſt hos Generalis Cæſareus, ut rebus Confluentinis conſuleret, ab Electore petitus, & à Cæſare miſſus, ſimiliter ad montem ſe confert, omnibuſque inſpectis dicit: abhinc uſque ad civitatis aggeres intercapedo tanta verſatur, ut globi, ex tormentis hìc explodendi, hominem quidem ſternere, munimentum verò nec dejicere, nec diſcutere poſſint. Ad hæc, cum mala abhinc timenda, non tam à Carthuſia, quàm à monte ſint dimanatura, hic utique poſt iſtam dirui & æquari debebit; quo oraculo correctus eſt annoſus multorum error, qui crebrò timuerant, ne aliquando molimina gallica hoc à monte robur & adjumenta ad civitatem expugnandam deſumerent.

CAPUT XIV.

De cæteris Regularium Domibus ac Eccleſiis.

EZechias Rex, ùt ab Aſſyriorum copiis Hieroſolymam infeſtandam accepit, militum

delectu, ac omnigenis eam armis inſtruxit. *2. Paral. 23.* pariformiter Archi-Epiſcopi noſtri, ut humanæ ſalutis hoſti, qui nunquam non ſuis eam odiis, fraudibus, ac aſſultibus petit, Confluentiam velut alteram Davidicam turrim objicerent, omni eam induerunt armaturâ fortium *Cant. 4.* Illi nimirum conſcribendo milites, & dando athletas, quibus non modò adverſus ſpirituali anequitiæ in cœleſtibus, & contra Mundi rectores tenebrarum harum glorioſa colluctatio foret. *Epheſ. 6.* Sed & qui meritorum ſuorum præſtantiâ, orationúmque ſuarum virtute juſtas Dei iras comprimere, ultricéſque ejus manus continere, ac ad miſericordias inclinare valerent. *Ex. 10.*

Hos itaque in fines accerſebantur jam pridem Sæcularis Cleri veneranda Collegia: his circa annum 1153. in Monte S. Beati ſociabantur Monachorum ſubſidia: evocati poſt hos aderant commilitones S. Dominici; qui ad annum 1231. ùt vult Cantipratanus *de Apib. lib. 2. cap. 25.* §. 11. vel, ùt *lib. 15. num. 154.* tenet Browerus, ad annum 1233. ipsâ Dominicæ Reſurrectionis die ſacris Confluentium gaudiis peropportunè ſe interſerentes, Eccleſiæ dein ſuæ aliquantiſper tardius, circa annum videlicet 1239. fundamenta locârunt: dúmque hæc unà cum Cœnobio ob pecuniarii nervi deceſſum languidè moroſéque aſſurgere cernitur, Innocentius IV. Pont. Max. ſuis adeſt auxiliis, & omnibus ad incrementum ſurgentis operis manum adjutricem præbentibus, Indulgentias 40.

dierum per Breve *Quoniam, ùt ait.* impertit. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to.* 1. *pag. 730.*

Eodem penè tempore, quo Dominicanæ adventabant ſuppetiæ, Franciſcanam quoque militiam ſua hìc explicaſſe vexilla, proditum tenemus ex his, quæ apud Browerum *lib. 18. num. 126. 176.* leguntur. Illa verò, quæ idem Scriptor *lib. 19. num. 87.* refert; quod Jacobus I. circa annum 1451. Confluentinam Franciſcanam familiam labore maximo ad priſtinam diſciplinam reduxerit, non prout ipſe ſentire videtur, ſed hoc modo veniunt intelligenda, quod nimirum Sirckius Minoritis Conventualibus, Fratribus de Communitate tunc dictis, loco cedere juſſis, ſurrogari fecerit Fratres de Familia, qui nunc Minores Obſervantes, ſeu Recollecti vocantur. Ad hæc; Sectatores S. Franciſci Seraphici ante medium ſæculi XIII. adeoque non longè poſt ortum ſui Ordinis, apud Confluentes formalem habuiſſe Conventum, conſtat ex iis, quæ leguntur in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 787.* quod nimirum Henricus Vinſtingius ante annum 1267. Guardiano Fratrum Minorum in Confluentia, nec non aliis duobus injunxerit, ut contumacem quendam Militem excommunicationis cenſurâ perſtringerent.

Quo tempore Carthuſiani in viciniam, ac in tutelam Confluentinæ Civitatis devenerint, capite præcedenti retulimus. Canonicos Regulares S. Auguſtini circa annum 1450. Confluentiæ fuiſſe receptos, à Browero *in Annal. Trevir. lib. 19. num. 98.* ſic inquiente didicimus. Jacobus

Sirckius *Canonicos Regulares Ordinis S. Auguſtini, Cœnobitarum genus ſanctitatis opinione, atque virtutis apud Batavos, Friſios, & Geldrios eo tempore florentiſſimum, Confluentiam primus accerſivit. His in Inſula Rheni ſedem propius Urbem Gymnaſium virtutis attribuit. Hinc mox partem eorum evocans, Everhardi Cluſam ob crebra miracula jam tum illuſtrem iis commendavit.* Porro Canonicos cæteros, eorundémque poſteros adhuc ultra ſæculum cultu ſuæ regulæ eam Inſulam ſanctificâſſe, demúmque penitus intercidiſſe, novimus ex literis Gregorii XIII. Summi Pontificis, quas refert Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 3. pag. 101.*

Jacobus ab Eltz, ùt hæreſes in ditionis ſuæ vicinia arroganter caput attollere, pietatem avitam opprimere, innumeráque mala parturire ac progignere cernit, quatenus ovili ſuo de tutamine novo proſpiceret, Patres Societatis huc vocat, eóſque anno 1580. annuente Papâ, immittit in regularem domum, quam Sanctimoniales Nobiles ſub cultu Inſtituti Ciſtercienſis à multis retro annis ad hoc uſque tempus poſſederant. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 3. pag.* 101. 145. Browerus *lib. 22. num. 57.*

Carolum Caſparum à Petra non abſimilis cura propagandæ religionis excepit; utpote qui circa annum 1659. Thereſianis, ſive Carmelitis Diſcalceatis, poſt multas ipſorum, aliorúmque inſtantias, licentiam demum fecit, Regularium Cœtibus ſuum hìc Sodalitium ſtabiliter conſociandi: qui ſubinde regulari domui fundamenta

locantes, ejúſque profectui operam diligentem navantes, in illam tandem anno 1662. die ſeptimâ menſis Septembris ex privatis ædibus, in quibus luſtrum compleverant, ſolemniter progrediuntur. Quorum dein Eccleſia per proximè ſequens ſexennium, opitulante beneficâ plurium devotorum manu, prout nunc viſitur, in altum ſurrexit.

Ordo Ciſtercienſis in ſæculo XIII. nobili parthenone religioſas hìc familias auxit: cujus alumnas ſicut Joannes Badenſis ſub annum 1496. ad veteris diſciplinæ, à qua nonnihil abſceſſerant, obſervantiam puriorem reduxit *Brow. lib. 19 num* 183. Ità Jacobus Eltzius anno 1580. perægrè conſentientes tranſtulit ad Inſulam inferiorem Rheni in intercidentem ibi Canonicorum Regularium Ædem: illam verò Sanctimonialium, quæ antiquitus appellabatur Lera, Patribus Societatis adſcripſit, ùt diximus antea.

Monialibus ad S. Catharinam præparatur, & attribuitur locus; dum anno 1276. pia & locuples quædam Virgo ſuam ex lapide ſtructam domum ſex devotis, à Dominicani Conventûs Priore denominandis, Virginibus in ultimis ſuis tabulis legat; dúmque is eo dono ſui Ordinis alumnas lætificat, hæ eâ lege, ùt fertur, admittuntur à civibus, ut, ſi petantur, ſervitia ſua exhiberent ægrotis; quo tamen à debito, ſi quod iis fuit, nunc abſolutæ videntur.

Franciſcani quoque Inſtituti cultrices, quas Tertiarias dicimus, in Cœnobio S. Martini

quondam hìc floruiſſe, ac defloruiſſe per injuriam temporis, ſcitur exinde; quod, dum Joannes Schônenbergicus ſub annum 1587. Andernacenſes, legibus S. Dominici obſtrictas, Virgines, quatenus, ùt Browerus *in Annal. lib. 22. num. 71.* dicit, earundem honeſtati & pudicitiæ præſentiora remedia ferret, huc tranſtulit, ac in Parthenonem mox dictum immiſit, hæ ibidem tres Franciſcanas invenerint, quibus ſucceſſivè demortuis, ſola deinceps Dominicana Familia cœnobium tenuit, ac in eo in hunc uſque diem cultui ſuæ regulæ vacat.

Quæ in Inſtitutum S. Auguſtini jurare, ac Moniales S. Barbaræ communiter ſolent vocari, primùm incoluêre vicum, non procul à Moſella ſitum, cui nomen Lonnig: inde verò ad annum 1143. in Vallender, & ab hinc anno 1567. intrà Confluentiam prope Villam Carthuſianorum tranſlatæ, tandem anno 1708. die ultimâ Menſis Martii tranſmigrârunt in plateam Lôhranam; ubi nunc in Monaſterio, ſuper ſpatiis hoſpitalis veteris noviter erecto, vota ſua Deo ſolvere ſolicitæ, emigrationem quartam ad temporis conſummationem exſpectant.

CAPUT

CAPUT XV.

De Sanctorum Reliquiis Sacraria Confluentina ditantibus.

INſpectis, brevitérque deſcriptis divino cultui dicatis ædibus, nunc ad ſacros earundem theſauros, id eſt, ad conditas in iis Sanctorum reliquias retegendas & explicandas accingimur: has námque raris regiúſque præſtare cimmeliis, noverat D. Chryſoſtomus, dum apud Metaphraſten ait, & optat; *Sit mihi gladius Pauli pro corona, & clavi Petri pro gemmis, infixis in diademate?* Has velut aurum potabile locum principem inter optima & pretioſa medicamenta tenere, ac miſeris præſentaneam afferre ſalutem, clamitant ſudaria Pauli *Act. 19.* conſonat Hipponenſium Præſul, dum *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* refert; quod florum faſciculi, quos feretro S. Stephani quorundam pia fides admoverat, valetudinem infirmis attulerint: confirmant hæc Magnericus & Gregorius, hic Turonenſium, iſte Trevirorum beatiſſimi quondam Antiſtites, ceu quos venerandas S. Martini Epiſcopi reliquias eripuiſſe è præſentiſſimo vitæ diſcrimine, perhibet Browerus *in Annal. Trevir. lib. 6. num. 69.* nóſque repetemus infra *cap. 23.*

Hæc itaque ſacra pignora hoc capite expoſituri, non ad omnia, ſed ad ea ſola tractatu noſtro convertimur, quæ nobis in Hiſtoria Trevirenſi Diplomatica, nec non in Annalibus Browerianis produntur; quoad reliqua verò, quæ vel inter inſignia lipſana non reponuntur, vel quæ ad Noſtros ab ætate recentiore ſunt lata, piam Lectoris curioſitatem ad ipſaſmet lipſanothecas remittimus.

Annus 836. novâ non modò Baſilicâ, ſed & ſacro corpore B. Caſtoris, volente ac dirigente Cœlo, Confluentiam exhilaravit: qui Sanctus Dei Sacerdos in ſæculo IV. defunctus, ac in tumulum apud Caradonam illatus, huc demum ea utique de cauſa ſolemniter eſt tranſlatus, ut, quos verbo olim & opere regeneraverat Chriſto, ſuo non ſolùm patrocinio, ſed & corporis tutaretur præſidio. Inſignis ac venerandus hic theſaurus quotannis ad decimam tertiam Februarii, quâ D. Caſtor ad cœleſtia regna migravit, palam ſpectandus Confluentium religioni exponitur. Videantur à nobis dicta *cap. 2.* & *cap. 10.* nec non Browerus *lib. 4. num. 71.*

Eodem ſæculo eadem Baſilica potiebatur S. Goaris brachio: qui fidelis Dei famulus *in Provincia Aquitaniæ ortus temporibus Childeberti Regis Francorum, ſtatim ab infantia verus Dei cultor fuit: hic poſtmodum ibi Presbyter conſecratus, patriam parentéſque deſeruit; & in Provincia, quæ ripis Rheni fluminis contigua, Trigoria nuncupatur, atque ad Diœceſin pertinet Trevirorum, Deo liberè ſervire delegit, uſque in finem*

vita ſua. Ita Ven. Beda in Martyrologio pridie Nonas Julii; quibus Rabanus in Martyrologio ſuo ſubnectit: *Hic hoſpitalis multum fuit, & largus in pauperes, & Deo in ſacris Miſſis & pſalmodiis inſtanter quotidie ſerviebat: fecit etiam miracula multa in vita ſua*, quam ad annum 573. beatiſſimo fine concluſit. Videatur Browerus *lib. 8. num. 101. 102.*

Idem Caſtorenſe Sacrarium undecimo circiter ſæculo incrementum tertium ab exuviis B. Rizæ, ſive Richezæ, Francicæ Matronæ, recepit: hæc, teſtibus literis, à Communitate Confluentina anno 1265. ad ſummum Pontificem datis, *Fuit nobiliſſima, de Ducum ſeu Imperiali genere deſcendens; & poſtquam hæreditariâ ſucceſſione, ſeu viri ſolatio deſtituta plenariam rerum poteſtatem habuit, Chriſtum ſibi fecit hæredem, venerabilibus Eccleſiis & piis locis omnia, quæ habuit, conferendo, ſicut in privilegiis ipſius, & antiquis libris dignoſcitur contineri. Ipſam quoque Eccleſiam S. Caſtoris multis & magnis villis, & poſſeſſionibus, & curtibus cum hominum familia multa valde magnificè dotavit, & cultum divinum cum diverſa ſupellectile glorioſius ampliavit, in quâ poſtmodum ſepulturam elegit: ad cujus tumulum multa ſigna & miracula per ejus meritum Dominus operatur in argumentum & magnificentiam meriti, ſicut piè credimus, & fidelibus ad devotionis gratiam promerendam.* Sacrum hoc depoſitum, annuente Summo Pontifice, in medio Eccleſiæ, & in loco eminentiore ſequentibus annis repoſitum, anſam Confluentinis

præbuit, honori hujus Sanctæ religioſum quendam Cœtum, ſive, ùt nunc dici conſuevit, Sodalitatem dicandi, quam ſub annum 1480. ejus adhuc cultui deditam, adſcriptorum multitudine floridam, ac cenſibus proviſam fuiſſe, ex monumentis Caſtorenſibus conſtat. Ex quorum etiam præſcripto annua hujus Sanctæ memoria ad diem 30*mam*. Auguſti officio feſtivo recolitur. Dúmque inſuper in iiſdem monumentis refertur; *B. Riza dedit fratribus curtem fructuoſam apud Covernam cum omnibus appertinentiis, familia multa, & vineis*, poſteritas inde concludit, ipſam habitâſſe Covernæ. Cæterùm aliæ Caſtorenſium chartæ, quæ mox dictam tranſlationem corporis B. Rizæ anno 1286. VI. Cal. Majas ab Henrico Vinſtingio Archi-Epiſcopo factam affirmant, hiſtorico mendo laborant: Vinſtingius enim iiſdem anno, menſe, ac die animam exhalabat Bononiæ.

Confluentina Carthuſia tum capite S. Officiæ, & brachio S. Servatii Epiſcopi, tum & ſacris corporibus SS. Beati & Noitburgis ditari, ac tutari ſe gaudet: hoc Colonia Agrippina, iſtud Trevirorum Auguſta Eccleſiæ hujus Montis faverunt: Hæc ex regio Francorum Stemmate genita, virginitatis ſuæ florem ſub annum 716. in Agrippinenſium Mariano parthenone Chriſto Sponſo devovit, & ad ejus amplexus in prima adoleſcentia, prout in votis ſemper habuerat, immaculata pervenit. Iſte puriſſimæ vitæ Sacerdos, dum in ſolitudine Montis Vogaſi multos in annos aſceticis exercitationibus

vacat, boni tandem ac fidelis ſervi præmia ſub annum 660. in curia cœleſti reportat: à cujus ſubinde tumulo, quem ei primùm Treviris ex marmore parari curavit, laborantes febribus remedia frequentiora tuliſſe, Annales Broweriani teſtantur *lib. 7. num. 32. 106.* videatur quoque Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 115.*

In Lipſanothecis Florinenſis Eccleſiæ eminet ac præ cæteris emicat S. Sacerdotis & Confeſſoris Florini venerabile caput: qui Dei ſervus quis à natalibus, & à ſanctis converſationibus fuerit, paucis noſtris oſtenditur *cap. 9.* pluribus verò apud Browerum *lib. 11. num. 5. & ſeqq.* qui quoque *lib. 18. num. 52.* refert, quod & caput S. Sylveſtri Papæ inter Reliquias Florinenſes ſervetur.

Cæterùm ex illis, quæ poſt alterum Annalium Trevirenſium tomum proſtant in Indice ſub litera I. quod nempe Tunica Redemptoris interior ad annum 1531. Confluentiæ fuerit denuo fidelium religioni monſtrata, ex his, inquam, inferre quis faciliter poſſet, quod Confluentia ſacratiſſimum hunc theſaurum aliquando vel poſſederit, vel aſſervandum receperit: ſed ſciendum, concinnatorem hujus Indicis, dum in Annalium Trevirenſium *libro 21. num. 3110.* ly *Confluente* per *C.* majus initiatum aſpexit, ex mendo vel ortho- vel typographico prolapſum eſſe in errorem hiſtoricum; quod enim Annaliſta per voculam *Confluente* non in locum, ſed in confluentes, ſive in perſonas Treviris concurrentes intenderit, textum examinanti patebit.

CAPUT XVI.

De Curia Civica.

SIcut in Confluentiam ad Ædium ſacrarum Miniſtris, nec non à Divis ejus Tutelaribus puritas, vigórque religionis dimanant, ſic ipſamet juſtitiæ cultum in Curia ſua vigilanter & aſſiduè zelat, dum ſibi Magiſtratum nonniſi juxta merita deligit, jura per hunc ſuis civibus dicit, præmia pœnáſque decernit, ordinem rebus públicis indit, actionibus modos præſcribit, concordiam nutrit, diſſidia litéſque componit, ſicque res ſuas magis indies magíſque aſſurgere, florem emittere, fructibúſque diteſcere facit.

Hanc autem Curiam, verè juris & æquitatis palæſtram, eo in loco, in quo hodiedum conſpicitur, ultra quinque jam ſæcula ſitam, à Magiſtratu tritam, atque in ipſa, quidquid rerum publicarum vel privatarum erat, curatum abſolutúmque fuiſſe, liquet ex pervetuſtis tabulis, quibus Magiſtratus, concurrente civium conſenſu, anno 1283. ad Calendas Octobres ſancivit; quod, ſi quis contra Principem temerè quid moliri præſumpſerit, perſona in Principis manus, fortunæ autem ejus prolapſuræ ſint in

ærarium fiſci. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 819.*

Eâdem quoque in Curia ipſummet aliquando Principem, ſtipantibus eum Comite Naſſovio, Confluentinorum tunc Imperiali Præfecto, aliarúmque nobilium perſonarum coronâ, pro tribunali ſediſſe, ac jus in cauſa litigioſa dixiſſe, refert eadem Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. eod. pag. 612.*

Cæterùm quod modernum ejus ſplendorem, ac novam quaſi faciem attinet, hæc referenda ſunt ad annum 1725. quo ea, Principe, ac Magiſtratu authoribus, ex ærario civitatis ſunt orta.

CAPUT XVII.

De Gymnaſio.

DIvinarum, humanarúmque literarum notitiam cujuſlibet chriſtianæ Reipublicæ baſin, quin & animam eſſe civilis ac eccleſiaſtici fori, omnium prudentûm authoritas, ac multiplex experientia docent: unde Gymnaſia in urbibus oppidíſque erigere, literarios ludos indicere, magiſtros eruditos accerſere, artibus ac ſcientiis præmia & favores addicere, ſæculares æque ac Eccleſiaſtici Principes præcipuo ſemper zelo,

ærèque profuſo curarunt: quo principali ſpiritu dum & Archi-Præſul Schônenbergicus regitur, eo is motore Patres Societatis JESU, ut juventuti literas humaniores prælegerent, anno 1580. ad Confluentes accerſit, atque in Cœnobium, quod Sanctimonialium Ciſtercienſium erat, ex Pontificiis indultis immittit. Senatus itaque ut & ſe ad Principis ſui vota accedentem monſtraret, communi mox ſumptu pro quinque inferioribus claſſibus gymnaſium à fundamentis attollit, totidémque domiciliis ſeu Muſeis adornat: in quibus & ego, ut grammaticam cum literis humanioribus diſcerem, integrum quinquennium egi.

At verò ùt Scholaſticorum numerus novis indies incrementis augetur; ùt anguſtiæ exinde accreſcunt muſeis; ùt quoque Magiſtri incommodis quotidianis gravantur, Joannes Hugo ab Orsbeck, verè patriæ Trevericæ Pater, nec non à poſteris cum reverentia nominandus Princeps, ære proprio gymnaſium magis amplum & commodum, maximo Confluentiæ commodo, ad annum 1695. fecit aſſurgere: in quo ab anno 1716. uſque in præſens non ſolæ humaniores literæ ùt antè, ſed & Philoſophia & Sacra Theologia à Patribus Societatis traduntur: quæ aliàs, nimirum ab anno 1702. uſque ad annum præfatum à Religioſis S. Dominici in eorundem Cœnobio prælegebantur, abſque magno tamen Scholaſticorum confluxu; urbana námque juventus utriuſque hujus facultatis ad-

diſcendæ gratiâ ùt plurimum ad exteras ſe Academias vertebat.

CAPUT XVIII.

De Mœnibus ac Munimentis.

CIvitas munitur ac cuſtoditur bifariam, phyſicè nimirum ac moraliter: munimenta civitatum phyſica ſunt muri, turres & valla, cæteráque latibula, ingenia, & artificia Martis, quibus contra hoſtem exterum ſalus civium in tuto locatur, pericula quoque ac incommoda plurima ab aris & à focis arcentur. Munimenta ſacra, ſeu in ſenſu morali ſumpta, ſunt pax & concordia civium, cura & nutritio pauperum, punitio & proſcriptio ſcelerum, obſequens ad leges attentio, & conſtans erga Deum religio; quæ ſi civitati non adſint, aberit quoque, vel defluet publica ejuſdem ſalus, quin & mœnia cum cæteris munitionibus erunt, quaſi non eſſent, juxta dicentem Scripturam; *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Porro Confluentiam utroque hoc munimento tutari, ſub eodem tranquillitate potiri, benéque ac feliciter agere, ipſos ejus æmulos, & arroſores non latet: unde & hìc loci nil ultra à nobis depoſcitur, niſi ut indice-

mus ac prædicemus Antiſtites, qui Confluentiæ prima & poſtera propugnacula, ac munimenta dederunt.

Arnoldum Iſenburgicum extitiſſe primum, qui ad annum 1244. Confluentiam mœnibus, turribus, & vallis munire ac concludere cœpit, refert Browerus in Annal. *lib. xvj. num. 32.* ubi & dicit; Advocationem Confluentiæ ab eodem Principe pro ſe, ſuâque Eccleſiâ comparatam fuiſſe *ſeptingentis* marcis Colonienſis monetæ; hæc autem ſicut ab ipſo breviter & obſcurè dicuntur, ita melius exprimuntur hâc chartâ.

Arnoldus Dei gratiâ Trevirorum Archi-Epiſcopus, omnibus has literas viſuris ſalutem in vero ſalutari. Notum eſſe volumus tam præſentibus, quàm futuris, quod Nos Advocaciam in Confluentia, cum omni jure, honore, fructu, & appendiciis ejus, jure feudali deſcendentem ab Eccleſia Trevirenſi, à Viris Nobilibus Waleramo & Ottone, Comitibus de Naſſowe, nomine dictæ Eccleſiæ Trevirenſis, pro *ſexcentis* marcis Colonienſium legalium denariorum, duodecim ſolidis pro qualibet marca computatis... titulo pignoris recepimus in hunc modum: quod, ſi Advocaciam redimere voluerint propriis denariis, intra feſtum Beati Martini & Beatæ Walburgis poterunt liberare... Datum anno MCC. quinquageſimo tertio, Octavo Kalendarum Auguſti.

Ex quibus non difficulter colligi, benéque concludi poteſt, quod, poſteaquam Fridericus II. Imp. Confluentiam à juribus Advocati Im-

perialis exemerat, Theodoricus Wedanus, proximus Arnoldi præceſſor, Advocatiam in illa Comitibus Naſſoviis per modum feudi contulerit. Revideantur dicta *pag. 29. & 30.* ſimúlque notetur, quod, cum præallegatum Diploma tunc primùm ad notitiam noſtram pervenerit, quando anteriora hujus operis folia fuerant jam typo vulgata, oportuerit cum Browero hìc loci referre, quod alibi referendum erat. Vid. Joannis Jacobi Reinhards Juriſtiſche und Hiſtoriſche Ausführungen. *parte 1. pag. 318.*

Cæterùm prout Annales Broweriani bene perhibent, quod Arnoldus Confluentiam, nullis ſuo tempore mœnibus inſtructam, vallo & munitionibus cingere cœperit; ita minus rectè eorundem Index Chronologicus dicit, quod muri ab eodem cœpti, per Henricum Vinſtingium ad annum 1282. fuerint ad perfectum deducti: primò námque Annales mox dicti hunc ad annum hoc de murorum progreſſu, ſive de manu ultima mœnibus iiſdem appoſita planè nihilum, multum è contra memorant de quopiam intrà Confluentiam per Vinſtingium noviter ſuſcitato, & à civibus impugnato caſtello: dein illis ipſis diebus, qui civibus æque ac Vinſtingio ſatis turbidi, nubiloſi, ac infelices fluebant, iſtis adjudicabatur ſeu confirmabatur libertas, civitati de muris, aliiſque de munimentis per ſemetipſos proſpiciendi, prout dictum eſt cap. 6. unde à veriſimili videtur abeſſe, quod Henricus Confluentium mœnia in circumſtantiis tam confuſis abſolverit. Cæterùm an cives memoratum

jus in opus aliquando redegerint; item an Iſenburgicus, prout mœnibus initia, ita & coronidem dederit, Hiſtoriæ noſtræ Duces non produnt.

Prodit è contra, & prædicat dedicatoria, à Maſenio mox dictis Annalibus præfixa epiſtola, quod Carolus Caſparus à Petra Confluentiam eo, robore quo nunc contra hoſtica molimina pollet, induerit: elogia, idcirco Principi ac operi data, ſic ſonant. *Cernimus ad Rheni Moſellæque Confluentes tuâ induſtriâ, impenſiſque tuis ſurgere munimentum Confluentinæ urbis eximium, quod non illâ, quâ nuper, facilitate venturos deinde inimicos ſit excepturum; ita vallis propugnaculiſque undequaque cinctum firmatúmque, jam ad ſuam propemodum perfectionem ſpectat, operis authoriſque ſui memoriâ diu fruiturum.*

CAPUT XIX.

De utroque Confluentium Ponte.

POntes idcirco ponuntur, ut publica emolumenta reponant; ut nimirum permeantibus tranſitum commodum & perfacilem præbeant, ut inundationum pericula minuant, earúmque impedimenta removeant, ut ærarium publicum portoriis ſeu pontenagiis augeant, & ut civitati-

bus ſplendorem, ornatúmque adgenerent: quorum quodlibet cùm & Noſtris affluat ex utroque ponte, congruit nunc dicere, quis hunc ad Rheni, & quis alterum ad Moſellæ ripas ponendo, totuplicis boni in hanc uſque diem author extiterit.

Pons Moſellanus Balduino Luxemburgico, tam ab annoſo regimine, quàm à rebus prudentiſſimè ac feliciſſimè geſtis famigeratiſſimo Principi, fundamenta ſua cum faſtigiis debet; ſive, ùt Browerus *lib. 17. num. 111* ſolitâ ſuâ phraſi dicit; *Balduinus Moſellam, Confluentium Oppidum præterfluentem, eximii operis arcuato ponte, ex quadris politè factis, & affabre junxit, magnóque totius Oppidi commodo, & ornamento flumen id pervium fecit; inſimúlque voluit ac decrevit, ut Treverica ditionis cujuſcunque ſtatús ii vel conditionis, liberè quidem per eum commeare poſſent, cæterorum autem nemo, exceptis Clericis, niſi obolo dato, quem ab Hallis Halenſem dicebant, ponti nimirum ſervando, reficiendóque.*

Porro quis annus huic operi lapidem angularem ſubſtravetit, non convenit inter Chronologos: Browerus *l. c.* annum 1341. Spanheimenſe Chronicon annum 1331. indigitat; vetuſta verò manuſcripta, quæ in Cœnobio D. Mathiæ extra Trevirim aſſervari feruntur, veriſimilius id affirmant de anno 1343. quod & confirmant viginti ſupra unum apud Avenionem in Papali Curia commorantes Epiſcopi, dum in ſuis, ad annum mox dictum ſub 24tâ Octobris exaratis literis, non de ponte jam

cœpto, ſed de mox incipiendo ſeu erigendo ſic ajunt. *Cupientes, ut pons de novo per venerabilem in Chriſto Patrem, Dominum Baldewinum, Archi-Epiſcopum Trevirenſem fundandus, ad ſalubrem effectum perducatur; univerſitatem veſtram rogamus, monemus, ac piè in Domino exhortamur, quatenus charitatis intuitu ad tam laudabile opus fundandum pro totius communitatis, ac Chriſti fidelium tranſeuntium commodo, ac pro re publica, pias eleemoſynas, & grata charitatis ſubſidia miſericorditer in Domino erogetis, ut per hoc & alia bona, quæ inſpirante Domino feceritis, poſſitis ad æternæ felicitatis gaudia pervenire.* Poſt quæ ſinguli hi Epiſcopi omnibus & ſingulis, qui quoquo modo hoc ad opus opere charitativo concurrerint, 40. dies Indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino, accedente Domini Balduini conſenſu, relaxant. Hiſtoria Trevirenſis Diplom. *to. 2. pag. 155.*

Sicut autem Balduinus arcuatum hoc opus ad quorumlibet tranſeuntium commoda, nec non in Confluentiæ profectum, & ornamentum abſolvit, ita Joannes Hugo, dum laterales ejus muros attolli, iiſque feneſtellas jaculatorias fecit imponi, id inſuper in novum quoddam munimentum redegit, in quo nunc contra invaſiones hoſtium & currulia tormenta plantari, & militares copiæ poſſunt tutâ ſtatione gaudere.

Idem Eminentiſſimus Princeps ad diminuenda incommoda, tollendáque pericula, quæ ex navali trajectu in fluminibus oboriri ſolent, primus præterfluenti Rheno ad annum 1680. tra-

jectitium pontem impoſuit; exindéque in hanc uſque diem ærarium Principis, nec non rem publicam luculentis commodis, & incrementis quotidianis amplificat. Porro quod ponto, Rhenum olim tranſmittentibus ſerviens, aliquando ad Monaſterium S. Mathiæ extra Trevirim cum omni emolumento ſpectârit, monumenta ejuſdem Monaſterii tradunt: id autem quo tempore hujus juris poſſeſſionem adierit, & an ad annum 1680. eam primùm amiſerit, explorare non licuit.

Electorali huic ponti Comes Neowedanus, approbante ac concurrente Bonnenſi Regimine, ſimile novum opus anno 1742. opponens, atque Rheno ſupra rivum Nette è regione Neowedæ imponens, publicum trajectum eſt orſus: at verò ùt hic auſus Viennam ad Conſilium Imperiale Aulicum Trevericis libellis defertur; ùt & ibi evidentibus argumentis docetur; dominium Rheni à rivulo Duberbach inter Brie & Renſe uſque ad ripam Nette prope Andernacum accenſeri Antiſtitis Trevirenſis Regalibus, Comes causâ cecidit, ac pontem, Cæſare urgente, volens nolens removit. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 165. 178.*

CAPUT XX.

De publicis, Confluentiæ celebratis, conventibus.

SPectaſti, amice Lector, Confluentiam Aris, tribunalibus, legibus, ſcholis, mœnibus, & pontibus, ùt par eſt, à ſæculis elapſis inſtructam: vident quoque tempora noſtra mercimoniis floridam, civibus validam, ædificiis ſplendidam, ſub Archi-Epiſcopalibus Infulis utì aliàs auctam, ita & adhuc ad ampliora & altiora ſurgentem: at nunc miremur, quod & in nobile, frequénſque theatrum præteritis annis ſurrexerit, in quo Cæſares, Reges, ac Principes nunc ſacroſanctæ Eccleſiæ, Imperiíque Romani tutores, nunc Patriæ Teutonicæ Patres, jam pacis Angelos, nunc ſcelerum vindices, jam æqui honeſtíque ſatores, utì ſtudiis, ita & laudibus perpetuò memorandis egerunt; prout ex nunc enarrandis patebit.

Primum itaque actum hoc in theatro erat conſpicere, quin & mirari, quando Ludovico Pio ad annum 840. vigeſima die Menſis Junii ad æterna tranſlato, hæredes ejus anno 842. ſolemnem hìc conventum agentes, regna paterna

terna æquiùs, quàm Pater antea fecerat, diſpartiebantur, atque Lothario univerſum terrarum tractum, quem ab una parte Rhenus, ab altera Rhodanus, Ararис, Moſa, & Scaldis allambunt, ac includunt, cum Italia & titulo Imperatoris Auguſti: Ludovico autem, qui Germanicus communiter cognominatur, Franciam Orientalem, ſive Germaniam tranſrhenanam cum tribus Ciſrhenanis Urbibus Moguntiâ, Wormatiâ, & Spirâ: Galliam demum, ſeu Franciam Occidentalem Carolo, qui nuncupatur Calvus, concorditer adjudicabant: quæ regnorum terrarúmque partitio anno poſtero novum robur novo partium conſenſu in conſeſſu Virodunenſi recepit. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 147.* Browerus *lib. 8. num. 93.*

Altera in eodem theatro pandebatur ſcena, dum ad annum 860. à Carolo Calvo, à Ludovico Germanico (: hic non modò ſuam, ſed & Ludovici Italiæ, & Caroli Provinciæ Regum abſentium perſonas tunc repræſentabat:) nec non à Lothario Germanici & Calvi nepote, & ab undecim Pontificibus in Baſilica D. Caſtoris agebatur ſacer conſeſſus; in quo hi quinque Reges icierunt fœdera, unáque cum Præſulibus laboranti ſaluti publicæ conſuluêre per ſaluberrimas leges, tuentes florem ac honorem eccleſiaſtici ſtatûs, & exterminantes frequentiam, & temeritates prædonum. His de Comitiis Annales Trevirenſes ſic ajunt. *Annus Chriſti octingenteſimus & ſexageſimus jam proceſſerat, quando Confluentium oppidum in Treviris ſupra omnem*

retro memoriam, percelebri trium Regum Conventu, Caroli & Ludovici fratrum, & Lotharii nepotis; & Synodo pariter Episcoporum se extulit. Et post pauca interjecta. *Hæc sunt nomina Episcoporum, qui anno Incarnationis Dominicæ DCCCLX. ad Nonas Junias in Secretario Basilicæ S. Castoris consideraverunt cum Nobilibus & fidelibus Laicis firmitatem, quam glorioſi Reges nostri H Ludovicus, & Carolus, atque H Lotharius inter se fecerunt vij. Idus Junias in eodem Monasterio, & qui hæc Capitula ab omnibus observanda acceptaverunt.*

Quamvis autem mox citati Annales Antistitum illorum nomina, sedésque, quas tenebant, non exprimant, aliunde tamen accepimus, quod fuerint Hincmarus Remensis, Guntharius Coloniensis, Altfridus Hildesiensis, Salomon Constantiensis, Adventius Metensis, Hatto Virodunensis, Franco Tungrensis, Teudericus Cameracensis, Leutbertus Moguntinus, Gebehardus Spirensis, Christianus Antisiodorensis, Teutgaudus Trevirorum Antistes cum summæ Ædis Præposito, nec non cum aliis quibusdam Clericis non ita pridem ab impiis ac rebellibus captus, cùm inter mox dictos Præsules non memoretur, diebus istis in custodia adhuc detentus fuisse supponitur. Browerus *lib. 8. num. 123. 124.* Historia Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 197.*

Incrementum tertium, illúdque non exiguum splendoribus Confluentinis accessit, quando Carolus Franciæ, & Henricus I. Germaniæ Re-

ges, cum ſeptem Epiſcopis ad annum 922. in Synodo hìc actâ condiderunt canones adverſus eos, quos ſimoniaca lues infecerat: contra illos quoque, qui contrahebant matrimonia in gradibus, eccleſiaſtico jure prohibitis; nec non contra Monachos, qui obedientiam negabant Epiſcopis.

Porro Epiſcopi ſua hos ad canones conſilia & ſuffragia dantes, erant Hermannus Colonienſis, Herigerus Moguntinus, Thiedo Herbipolenſis, Lotharius Mindenſis, Dodo Oſnabrugenſis, Richonus Wormatienſis, Richquinus Argentinenſis, Wanno Paderbonnenſis. Rutgerus Archi-Epiſcopus noſter injuriarum ac inſectationum incurrendarum metu, quibus Gieſelbertus, Lotharingiæ Dux, Clerum ſub id tempus vexabat, hoc à Synedrio abfuiſſe cenſetur. Browerus *lib. 9. num. 69.* Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 285.*

S. Henricus II. cognomento claudus, contra ſuos ac patriæ Trevirenſis hoſtes, anno 1012. publicum hìc congreſſum indixit: in quo frequens Nobilium Præſulúmque conſeſſus eidem Henrico adverſus turbatores pacis omnem non modò opem addixit, ſed & inſtitit, ac urſit, ut ſententia contra ipſos ex omnium conſenſu prolata, ſi deinceps acquieſcere, ac obtemperare noluerint, ſtrictæ protinus executioni daretur. Præcipua tumultuantium ac obſtrepentium capita erant Henricus Dux Bavariæ, Theodoricus Mediomatricum Epiſcopus, nec non Adalbero Comes Luxemburgicus; hic Cunegundis Auguſtæ

germanus frater, ac ſub Ludolpho Trevirorum Antiſtite noviſſimè defuncto Sacellanus Domini, dum Trevirenſem tiaram, quam imporenter ambierat, Megingaudo impoſitam dolet, eum ob id multimodâ inſectatione premebat. Browerus *lib. 10. num. 88. & ſeqq.* Eckardinus Annaliſta Saxo *pag. 429.*

Lothario hujus nominis Imperatore II. ad annum 1138. prid. Non. Decemb. in itinere, quo ex Italia petebat Germaniam, morte ſublato, Albero Archi-Epiſcopus noſter ſuâ, quâ pollebat, authoritate Imperii Principes, quatenus Germaniæ novum Regem crearent, non Moguntiam, prout vota & conſilia multorum urgebant, ſed Confluentiam fecit conſcribi: qui proin anno poſtero ibidem aperientes Comitia, ad prævalentia Alberonis conſilia, Conradum Sueviæ Ducem, in tertium hujus nominis Germanorum Regem cooptant, eúmque Aquiſgranum properanter ducentes, in Solium Caroli Magni levant, ungunt, coronant, Cæſarémque ſalutant: cui tamen electioni, quia non conſultis omnibus Principibus facta, gravis deinceps contradictio à Saxonibus fuit obmota. Browerus *lib. 14. num. 17. 18.* Piaſecius *pag. 489.* contra Ottonem Friſingenſem *Chron. lib. 7. cap. 22.* & Dodechinum *in Append. ad Marian. pag. 472.* qui hæc minus rectè ad annum 1138. reponunt.

Idem Albero, verè magnus non modò ſuæ, ſed & aliarum ditionum Rector & Atlas, ùt Comites, Nobiléſque clientes ſuos comitatum

Bonnenſem immodicè certatímque appetere, iras exin & bella concipere, quin & gladios acuere reſcit, eos anno 1152. ad Conventum hìc agendum accerſit; in quo dum magna Comitum, Nobilium, & Eccleſiaſticorum frequentia in anni ſe limine ſiſtit, Albero ipsâ ſacrâ Epiphaniæ die inhiantes ac diſſidentes animos ſuavi ſuâ potentíque authoritate reprimit, ſedat, componit, ſuáſque ſic terras à non paucis ac levibus malis, ipſum verò Imperium à moribus pernicioſis præſervat: & en! vix abſoluto dimiſſóque conſeſſu, digniſſimus hic Princeps, cutis jam & ſenio gravis, ægritudine extremâ corripitur; quâ & Decimo Octavo Calendas Februarii in Caſtro Confluentino confectus, utique eorum nunc intereſt choro, de quo author pacis; *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Manibus ejus quidam Poëta meritò belléque accinuit: *Magnus eras magnis, par parvis, meta tyrannis, gloria divitibus, portio pauperibus.* Browerus *lib. 14. num. 85.*

Philippus Rex, Henrici VI. Imperatoris germanus frater, cum Ottone IV. Imperii gubernacula in Schiſmate tenens, anno 1205. ſolemnem hìc Conventum cum Principibus ſibi adhærentibus agit; in quo hi novo ſe illi juramento obſtringunt, is verò ſpebus novis erigitur, fore, ut Ottoniani tandem laſſati, Imperiale Solium ſoli ſibi ſcandendum, tenendúmque relinquant; quam tamen ſpem mors ejus prærmatura præſcidit. Browerus *lib. 15. num. 50.*

At nunc Confluentiæ nomen, hujúſque lau-

dem per omnem penè mundum clamoroſior fama deportat, dum ad annum 1211. Rex Bohemiæ, Moguntinorum ac Trevirorum Antiſtites, Auſtriæ ac Bojariæ Duces, Thuringicæ Provinciæ Comes, nec non alii quàm plures Germaniæ Proceres in indictis ibidem Comitiis Ottonem IV. quem Apoſtolica Sedes ad annum 1210. ſceptro coronâque exuerat, è throno imperiali dejiciunt, in eúmque ad mentem & ſuggeſtionem Papæ, qui erat Innocentius III. Fridericum II. Henrici VI. filium ac Siciliæ Regem concorditer quidem levant, at non æque feliciter, quod per ipſum ſperabant, temporum ſucceſſu reportant: prout ex Hiſtoriographis ſatis conſtat. Browerus *lib. 15. num. 83.*

Porro ſicut diebus iſtis Otto IV. Fridericum Siculum coronæ ſuæ, ſuorúmque jurium raptorem & uſurpatorem ajebat, ita temporibus poſteris, circa annum nempe 1337. Eduardus Rex Angliæ, qui thronum Francicum de jure opinabatur ſuum, contra Philippum Valeſium, Regem Franciæ, ſimilibus aſſurgebat querelis; quin &, ut Imperii Principes ſuæ cauſæ patronos promotoréſque accerſeret, ex Anglia feſtinabat ad Inſulam, quæ infra Confluentes prope Vallendariam in Rheno conſpicitur: dúmque ad ejus inſtantias etiam Ludovicus Bavarus hujus nominis Imperator IV. multis cum Principibus ac Proceribus adeſt, ac pompâ regiâ Confluentiam inſtans crebrius cum Eduardo conſultat, hic, quod in ſpe ac in votis gerebat, in amplis quidem promiſſis, at non æque in ipſis factis

aſſequitur: unde dum ſenſim & nummariæ rei deceſſu, & aliis difficultatibus premitur, demum à Balduino Archi-Præſule noſtro mutuas pecunias ſumens, Regníque ſui coronam, quam Chronicon Spanheimenſe *inæſtimabilis pretii clenodium vocat*, in pignus penes Noſtros deponens, ſuis deinceps rebus in Inſula prædicta, ad quam 24*tâ* Junii venerat, uſque ad 8*vam* Septembris ſub papilionibus operam vix non fruſtraneam locat. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 129.*

Confluentia ad annum 1457. Imperii Principibus & Magnatibus denuò ſuam curiam dicat: ad Electorale námque Collegium, & ad cæteros Rhenanæ Germaniæ Proceres crebrius devolutâ querelâ, quod Dynaſta Weſterburgicus receptum non modò, aſylúmque prædonum rapacitati dediſſet, ſed & mercatores Colonienſes in via publica tentos, carceri in ſuo caſtro mandaſſet, ab iiſque in lytrum duodecim millia aureorum tuliſſet, Jacobus Badenſis, non ita pridem ad Cathedram Trevirenſem evectus, & cæterorum Septemvirorum legati, nec non Naſſovius, Seinenſis, & Virnenburgicus Comites Conventum ibidem agentes, Weſterburgicum ad ſequentia damnant. Lytrum reſtituat: à Septemviris veniam ſuppliciter petat: ſervitia ſua quandocunque & qualitercunque Septemviri juſſerint, exigentiis publicis per quadriennium proximè ſecuturum exhibeat. Browerus *lib. 19. num. 104.*

Maximilianus Imp. I. ùt Annam Britonum

Ducis filiam ſibi primùm deſponſam, jam Carolo VIII. Galliarum Regi in conjugem dari, magnâ animi amaritudine penſitat, ad vindictæ conſilia atque remedia ſe meritò, juſtéque convertit; ſubindéque ad annum 1492. primarios Germaniæ Principes, ac liberas Civitates Imperii Confluentiam convocans, cum Electoribus quatuor, nec non cum pluribus aliis Germaniæ Proceribus, & liberarum Civitatum legatis plures ibidem per dies ſuper bello contra Francum movendo, nec non ſuper ſuppetiis contra Turcas ferendis deliberationes & conſultationes inſtituit. Browerus *lib. 19. num. 175.*

In ſæculo decimo ſexto, dum non una hæreſis ſuas in Germania criſtas inſolenter arrigere, ac Orthodoxæ non ſolùm Eccleſiæ, ſed & Magiſtratibus politicis arrogantiùs inſultare conſpicitur, Confluentia, prout temporibus priſtinis, ita & tunc commoda & opportuna eſt viſa, in qua remedia valida, his malis congruenter objicienda, concipere ac præparare liceret: quem proin in finem Septemvirorum quatuor, nempe Mogonus, Colonienſis, Trevir, & Saxo cum frequentibus Provinciæ Rhenanæ Dynaſtis anno 1534. 13. Menſis Decembris Conventum ibidem agentes, inter prima concludunt, atque decernunt, Epiſcopo Monaſterienſi (: hic Anabaptiſtarum intrà Monaſterium Weſtphalum inſanientem proterviam diuturnâ quidem obſidione arctabat, at eam expugnare ac domare, prout optabat, non poterat :) tribus peditum millibus, trecentíſque equitibus in ſex

proximos menſes ſuppetias eſſe ferendas; quorum poſthac concurrentibus animis & armis infelix tandem Civitas VIII. Cal. Julii capta & direpta, nec non expiata rebellium Anabaptiſtarum cruore, Sacramentum deinceps ſuo Principi dixit, & dicere pergit uſque in hodiernum diem. Browerus *lib. 21. num. 6.*

In limine ſæculi decimi ſeptimi, dum Proteſtantium Status ac Principes adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus, ad opprimendum nempe vel diſpergendum Catholicum gregem, ad diripienda eccleſiaſtica bona, ad profananda Sanctorum delubra, ad concutiendum Romani Imperii ſacratiſſimum Orbem, Conventus crebriores indicere, fœdera fœderibus nectere, bellica conſilia cudere, frontémque oſtentare notantur, Lotharius Trevir, Joannes Suicardus Mogonus, & Erneſtus Colonienſis Antiſtites, ut impendentibus malis cùm tempeſtivè, tum & potenter occurrerent, ad annum 1606. Confluentiæ congrediuntur, primúmque tunc concipiunt, ad annum verò 1609. ibi pariunt ligam, quæ triadem hanc hâc lege ſtringebat; ut, ſi quem ipſorum à Proteſtantibus peti vel infeſtari contingeret, definito militum numero alter alteri ſuppetiaretur; quæ Præſulum Catholicorum ſocietas amplior deinceps & valentior audiit, quando Wormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis, Baſileenſis, Oſnabrugenſis, Bambergenſis, Herbipolenſis, Eichſtadienſis, & Auguſtanus Epiſcopi: Fuldenſis, Campidunenſis Abbates, aliíque Imperiales Prælati; Magnus

quoque Equitum Teutonicorum Magiſter, & Dux Bavariæ ſuas ei vires jungebant: Catholicæ hujus militiæ Ductor deputabatur Bavarus; qui, utì & cæteri eidem confœderati Principes, paſſim Ligiſtæ, Proteſtantium verò capita Correſpondentes appellabantur. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 3. pag. 244.* Maſenius in continuatione Annal. Trevir. *lib. 23. num. 48. 65.*

Iidem Eccleſiaſtici Principes providentiæ ſuæ oculis quaſi certò conſpicientes, quod Correſpondentes poſt obitum improlis Imperatoris Mathiæ, ad augenda ſua robora & incrementa, nullis non viribus ſint eò collineaturi, ut, excluſâ Domo Auſtriacâ, ex eorundem Secta, vel ſaltem ex imbelli Noſtrorum proſapia Imperio Moderator præficiatur, exciti & commoniti curis, quas Eccleſiæ Imperióque jurârant, ad annum 1616. Confluentiæ rurſus conveniunt, conſentiunt, atque concludunt, annitendum quibuſvis modis ac mediis, ut Princeps Catholicus, Cæſare adhuc in vivis agente, Rex Romanorum inauguretur. At verò quia alius erat Correſpondentium ſenſus ac ſcopus, hinc & Ligiſtæ, quod in ſanis conſiliis, ac in ſanctis concluſis habebant, effectui mancipare non poterant. Annales Trevir. *lib. 23. num. 100.*

Comitiis intrà Confluentiam actis, brevitet eouſque adductis & conſideratis, illa demum ſimili narratione contingimus, quæ in ejus vicinia, tertio nimirum ſupra ipſam lapide in agro Renſenſi, ſive in Sede Regia, parvum

quoddam theatrum ſpectantibus objiciente, celebrata leguntur, ſúntque tum ea, in quibus Carolus IV. Luxemburgicus ad annum 1346. Wenceſlaus Bohemus ad annum 1376. Rupertus Bavarus ad annum 1400. levati ſunt ad Imperii Romano-Germanici thronum: tum illa, in quibus cuſa, concluſa, & obfirmata eſt unio Rhenenſis, de qua Schilterus *to. 2. Inſtit. Jur. Publ.* tum denique & iſta, in quibus ad annum 1338. conſidentes Septemviri ſtetêre fortiter pro juribus ac libertate Imperii, datíſque ad Benedictum XII. Pont. Max. urgentibus literis, inſtitêre vehementer, vellet, Joannis XXII. contra Ludovicum Bavarum decreta & acta reſcindere, læſáque Imperii jura literis aliis redintegrare. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 27.* Browerus *lib. 17. num 103. 126. lib. 18. num. 40.*

Quibus adde; anno *1657.* poſt obitum Ferdinandi III. tres Electores Eccleſiaſticos Cârlichii prope Confluentiam conventum particularem agentes, Imperii Coronam detuliſſe Bavariæ Duci, quia rebantur Principem hunc iis opibus eſſe, ſub quo nec ab hoſtibus Germania, nec Germaniæ libertas periclitaretur, illíque potentiam non niſi ex Ordinum benevolentia, & ſic ab Auſtriæ tandem tutelâ emancipandam fore libertatem Germaniæ: at Bavarus ſaniore conſilio ductus, aſſenſum his oblatis negavit. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 3. pag. 721.*

Porro ſicut ex præmiſſis concluditur, quod tam feſtivè ac frequenter à ſummis Principibus hìc acta Comitia cùm Civitati celeberrimum

nomen, tum civibus emolumenta nec vulgaria, neque pauca pepererint, ſic & illa noviter confirmata cernantur, quæ cap. 1*mo* de Primordiis Confluentinis retulimus: ſi námque peramœnus, commodúſque Confluentiæ ſitus Germaniæ, Galliæque Reges valuit tam potenter attrahere, ut in ipſa ſibi Curias, Palatia, Sedéſque delegerint, quis ambigat, quin & ab Alemannis, ex Germania magna trans Rhenum quondam migrantibus, ipſa illa virtus magnetica quoſdam avulſerit, detinuerit, atque docuerit ad utriuſque fluminis ripam initiare, ac fundare coloniam? Cui noſtro ſenſui ſuis quoque ſuffragiis non difficulter accedent, quotquot civitatum origines, quæ ex monumentis coævis, ſive ex Scriptoribus ſynchronis aut ſupparibus demonſtrari non poſſunt, vel à traditione, non ratò per antiquitatem corruptâ, vel juxtà Strabonis & Broweri conſilia à prudentibus conjecturis deſumunt.

CAPUT XXI.

De Auguſtis hoſpitio apud Confluentes exceptis.

COnfluentiam ſicut in præmiſſis Cæſarum, Regúmque theatrum oſtendimus, ita nunc

iiſdem, quin & inſignibus Dei Servis frequens hoſpitium præbuiſſe, probamus, ſimúlque non temerè ex utroque concludimus, quod inter Civitates Germaniæ non qualemcunque, ſed eminentem ſibi vendicet locum, rectéque in vita S. Bernardi, nec non in libro miraculorum ejus de ipſa dicatur; *Confluentia in Paræcia Trevirenſi famoſiſſimus Vicus, & nobile Caſtrum, ibi ſitum, ubi Rhenus & Moſella confluunt.*

Ludovicus I. cognomento Pius cum Auguſta, Proléque Regiâ ad annum 836. 20mâ die Novembris magnâ pompâ ad Noſtros ingreſſus, duos ibi dies cum tot noctibus egit, interímque largiter aureis & argenteis muneribus D. Caſtoris tumulum & Eccleſiam auxit. Hiſtoria Trevirenſis Diplom. *to. 1. pag. 25.* Maximum hunc, veréque tam nomine, quàm opere pium Principem ad priora etiam tempora, anno nimirum 823. in ſuo ibidem caſtro aliquandiu negotiis ſui Regni vacâſſe, liquet ex Martenii *to. 1. Ampl. Collect. pag. 80.* ceu ubi adducit chartam, pro Tancrado Abbate Prumienſi ab eodem Principe IV. Cal. Septembris ad annum mox dictum Confluentiæ datam.

Lotharius I. Ludovici Pii natumajor filius, ad annum 842. in idem palatium, ſive Caſtrum divertens, cum duobus ſuis fratribus, ac Regibus, Ludovico Germanico, & Carolo Calvo, in æquas ibidem portiones paternam hæreditatem diviſit. Browerus *lib. 8. num. 93.* Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 147.*

S. Henricus II. cognomento tum Pius, tum

& Claudus, ac inter ſæculares ultimus Confluentiæ Princeps, occaſione Conventûs, quem pluribus cum Epiſcopis, ac Germaniæ Proceribus, contra ſuos ac Patriæ Trevirenſis hoſtes, ad annum 1012. hìc egit, ſuam quoque hìc reſidentiam per pluſculum tempus protraxit. Anno quoque 1016. ùt Megingaudi Archi-Præſulis mortem percepit, rurſus huc advolans, ad Adalberonis, Infulam ambientis, molimina & factiones attendit: dúmque pro eo minus proſperè, pro Poppone autem, Eccleſiæ Bambergenſis Præpoſito, ad omne votum rem fluere vidit, mox Trevirim cum ipſo feſtinans, eum ſub Cleri Populíque conſenſu in Metropolitica non modò ſede locavit, ſed & in eum, in ejúſque Succeſſores Confluentium Urbem cum omnibus illius juribus & appertinentiis ad annum 1018. munificâ religioſitate devolvit. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 351. 354.* Browerus *lib. 11. num. 3.*

Henricus IV. multos in annos licentioſius ac irreligioſius agens, indéque rebus publicis detrimenta non minima, crebráſque confuſiones accerſens, quin & cum Pontifice Romano ſcandalosè ac pertinaciter diſſidens, ùt anno 1105. filium ſuum Henricum adverſus ſe arma cudere, Regnúmque capeſſere, quin & à ſuis deſpici, deſeri, ac prodi ſe videt, ad Confluentes honeſto in comitatu feſtinat; inter quos per ferias Adventuales moratus, anno poſtero fatali demum exauthorationis ictu in Comitiis Moguntinis feritur. Browerus *lib. 13. num. 11. & ſeqq.*

Conradus III. in Electorali conclavi, quod anno 1139. apud Confluentes adornabatur, Imperator renuntiatus, & anno 1150. illuc reverſus, in Pentecoſtalibus feſtis per plateas rarâ pompæ ſpecie, ſub Cæſarea nimirum corona, ad Eccleſiam divinis aſtiturus procedit. Browerus *lib. 14. num. 79.*

Alterum ibidem anno 1211. à Proceribus Germaniæ deſignatum, & frequentatum conclave civibus noſtris hoſpites nobiliſſimos & copioſiſſimos tulit: quorum capita exauthorantia Ottonem IV. Fridericum II. Siciliæ Regem, in regio comitatu præſentem, Imperio Moderatorem dedêre. Hic dein Noſtros ab Advocati Imperialis juribus atque præſidiis, per literas, ad annum 1220. *26tá* die menſis Aprilis apud Francofurtum datas, penitus exemit, ſolíque deinceps juri Archi-Epiſcopi Trevirenſis ſubjecit. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 658. videantur quoque dicta ſuperius cap. 3.*

Henricus VII. poſt acta Coloniæ Dominici Natalis ſolemnia, Balduino germano ſuo fratre, ac Archi-Præſule noſtro, multóque alio perilluſtri comitatu ſtipatus, ſub finem anni 1309. ad Confluentes aſcendit; apud quos demoratus in annum poſterum, fraternis demum inſtantiis jus telonii ibidem tum erigendi, tum & inſtaurandi concedit. Browerus *lib. 17. num. 12.*

Ludovicus IV. cum ſpectabili præcipuorum Principum ac Procerum agmine Confluentiam veniens, non unam ibi hebdomadem Eduardi Anglorum Regis negotiis extricandis ac ordi-

nandis impendit; demum vero fœdere ſe illi jungens, ſub amplis promiſſis Eduardo factis, & fine congreſſibus dato, ad Bojos ſuos regreditur. *Vid. cap. præced.*

Maximilianus I. ab Anna, Caroli Galliarum Regis Conjuge, prius ſibi datam, at nuper retractam, ſciſsámque ſponſalitiam fidem graviſſimè ferens, anno 1492. cum quatuor Septemviris, nec non cum inſignioribus Germanæ Nobilitatis Capitibus ſuper ſumenda vindicta, ſuper bello nimirum contra Francum movendo, nec non ſuper expeditione contra Turcas paranda, apud Confluentes crebra colloquia, & prolixas conſultationes inſtituens, dies non paucos pauco cum fructu in utroque negotio trivit. *vid. cap. præced.*

Carolus V. proximus Maximiliani Succeſſor, ad annum 1543. ab Africana expeditione victor in Germaniam redux, aliquótque diebus moras hìc faciens, interim à Joanne Ludovico, Archi-Epiſcopo noſtro, officiis exquiſitiſſimis colitur. Browerus *lib. 21. num. 29.*

CAPUT

CAPUT XXII.

De Regibus hoſpitio apud Confluentes exceptis.

CHildebertus Auſtraſiæ Rex ſuo hìc in Palatio circa annum 585. non rarò divertere, ac jura ſuis populis in eo dicere ſolitus, Confluentiam uti adventantibus multis ſemper & magnis hoſpitibus, ita & emolumentis nec minoribus nec paucioribus auxit. Browerus *lib. 6. num. 67.*

Theodoricus, hujus nominis tertius Auſtraſiæ Rex, primo ſui regiminis, ſeptingenteſimo autem ac vigeſimo primo reparatæ ſalutis anno in eodem caſtro ſibi ſolium erigens, ſicut in alia ſui regni negotia, ita ſignanter in Cœnobium Sithivenſe ſuis ibi curis intendit, atque ejus immunitati novis tabulis novum robur impertiit. *Mabill. de Re. Diplom. pag. 609.*

Ludovicus & Carolus, hic Galliarum, iſte Germaniæ Reges, ad annum 842. hìc commorantes, dividunt hæreditatem paternam: ad annum verò 860. turſus appulſi, novis ſe fœderibus ſociant, conditis contra impios legibus

Ordinem eccleſiaſticum protegunt, ac publicas graſſationes profligant. *Vid. cap. 20.*

Philippus Rex, Ottonis IV. æmulus, anno 1205. in comitatu ſuo multam huc Nobilitatem adducit; à quibus in cives cum multis gaudiis multa quoque emolumenta manârunt. *Vid. cap. 20.*

Wilhelmus Rex Rom. ad annum 1252. hìc diverſatus, Monaſterio Lucenſi favorem impertit, quem legere eſt apud Leibnitium *Script. Brunſvic. to. 3. pag. 693.*

Eduardus Angliæ Rex ad annum 1337. ex Inſula inferiori crebriùs ad Noſtros aſcendens, ab iis, nec non & ab Archi-Præſule digno ſemper apparatu & cultu ſe excipi, ac proſequi vidit. *Vid. cap. cit.*

Ferdinandus Caroli V. Imperatoris germanus frater, ac propediem ſalutandus Cæſar, Anno 1556. nono die Julii cum Anna, Conjuge prægnante, hìc appulſus, à Joanne de Petra omni officiorum genere aliquot per dies afficitur. Browerus *lib. 21. num. 91.*

CAPUT XXIII.

De Sanctis, & magnis Dei Servis hoſpitio apud Confluentes exceptis.

SAnctus Caſtor & ſanctimonia vitæ, & miraculorum gratiâ glorioſus Sacerdos, D. Maximini Epiſcopi Trevirenſis diſcipulus, ac eremi prope Caradonam obſervantiſſimus aliquamdiu cultor, hanc ſub annum 337. Dei monitu deſerens, & ad Confluentes deſcendens, fidei ſemina, quæ D. Maternus ſparſerat, ſacris prædicationibus rigat, ſuſcitat, & ad accrementa perducit *Vid. cap. 2.*

SS. Magnericus & Gregorius, hic Turonenſium, iſte Trevirorum Antiſtites, dum cauſam Theodori Maſſilienſis Epiſcopi, ſua ab Eccleſia per nefarios pulſi, defendendam ac expediendam ſuſcipiunt, atque idcirco ſub annum 585. Childebertum Auſtraſiæ Regem Confluentiæ reſidentem conveniunt, ac graviter pro ejecto perorant, plenè demum evincunt, quod & cauſæ juſtitia, & charitas eorundem poſcebant, Annales Trevirenſes his de Sanctis hoc inſuper memorabile produnt; quod, cum in una die-

rum, ſumpto apud Regem prandio, ſcapham, animo trajiciendi Rhenum, cum aliis nonnullis intrâſſent, hæc, etſi preſſa, & aquis repleta, merſa tamen non fuerit tum ob ſanctitatem utriuſque Præſulis, tum ob merita & ſuffragia S. Martini Turonenſis Epiſcopi, ceu cujus ſacras reliquias penes ſe de more religioſo gerebant. Browerus *lib. 6. num. 68. & ſeqq.*

S. Burchardus, à quo literatus orbis monumenta Decretorum cum aliis quibuſdam eruditis operibus habet, apud Confluentes liberaliter inſtitutus & educatus, ex Laubienſi dein Monacho creatus eſt Epiſcopus Wormatienſis. Browerus *lib. 9. num. 69*

S. Henricus, hujus nominis Imperator II. ut laboranti Trevirorum ſaluti ſuccurreret, ſemel & iterum Confluentiam properans, hanc demum D. Petri Apoſtoli, ſive Eccleſiæ Trevirenſis juribus irrevocabili largitione addicit, prout diximus *cap. 3. 20. 21.*

S. Bernardus, Claravallenſis Cœnobii nominatiſſimus Abbas, & Eccleſiæ Catholicæ mellifluus Doctor, ex Auguſta Trevirorum ad Noſtros devectus, ùt in Confluentia parva Moſellam trajicere parat, ſupplicantem in littore claudum perbenigno non ſolùm affatu, ſed & exſpectatâ curatione ſolatur, noſtris interim ſibimet gratulantibus ſortem, quâ iis tam celebrem, támque mirificum Dei ſervum hoſpitio excipere, verbáque facientem percipere licuit. Browerus *lib. 14. num. 62.*

B. Petrus à Confluentia, nobili loco ibidem

natus, deindéque Sodalitii Dominicani conſpicuum decus, noſtris potius domeſticis ac civibus, quàm hoſpitibus venit annumerandus, prout cap. 25. fuſius dicetur.

S. Joannes Capiſtranus, Ordinis Seraphici fulgentiſſimum ſydus, Anno 1451. per Fridericum Imperatorem III. ad Germanorum, Hungarorúmque ſalutem verbi divini præco ab Apoſtolica Sede petitus, Ejúſque authoritate in Hungariam ac Germaniam miſſus, & hanc & iſtam, eâdémque miſſione Confluentiam quoque ſanctis operibus, pœnitentium fleribus, ac odore tam bono, támque crebris implevit miraculis, ut Papa, his fructibus excitus, facultate illum munierit, omnibus, qui ſacris ejus dictionibus pias aures præbuerint, Indulgentias Plenarias impertiendi. Epitome Hiſt. Rer. Franciſcan. *pag. 195.*

Marcus ab Aviano, Inſtituti Capucinici exemplariſſimus cultor, ad Leopoldi I. Imperatoris inſtantias Commiſſarius, & Miſſionarius terris Germanicis à Romano Pontifice datus, ſicut in aliis Imperii civitatibus ac locis, ita & Confluentiæ ad annum 1680. vitæ ſanctimoniâ, prædicationis gratiâ, & dono miraculorum enituit. Epitome Hiſt. Rerum Franciſcanarum *pag. 443.*

CAPUT XXIV.

De Viris Illuſtribus apud Confluentes ſepulturâ donatis.

PErſpecto Confluentiæ nomine, quo ipſam congreſſuum publicorum frequentia, nec non eximiorum hoſpitum vel ſanctitas vel majeſtas ornarunt, ad funerales demum urnas, ſive ad conditos in ea Magnorum cineres conſiderationibus noſtris delabimur: quibus tamen nec ſacras Cœlicolarum Reliquias, ceu de quibus jam egimus alibi, nec quorumlibet illuſtrium, aut celebrium Virorum reconditos ibi cineres, veluti qui numerum ſuperant, ſed ſolas Sacrarum Antiſtitum, nec non Principum Electorum exuvias, quas Browerus in Annalibus Trevirenſibus, & Ill. Honthemius in Hiſtoria Trevirenſi Diplomatica produnt, breviter in apricum proferimus, probè ſcientes, etiam Magnorum tumbas civitatibus ac populis in gloriæ theatrum aſſurgere.

Primus itaque, qui Mauſoleum ſuum ornamentis ac monumentis Confluentinis adjunxit, eſt Cuno Falckenſteinius, pectoris maximi, nec minoris ſapientiæ Princeps: hic poſt fortia præ-

ſidia, poſt luculenta officia, poſt alia quoque inſignia bona in Eccleſiam Moguntinam collata, primùm Trevirorum Antiſtiti, dein Colonienſi Coadjutor delectus, poſt iſtius obitum per quinque luſtra ceu Præſul Trevericam, ſimúlque Colonienſem Eccleſiam ceu Adminiſtrator, & Commendatarius annis nonnullis prudentiſſimè rexit: cúmque Epiſcopatum ſuum in omni tranquillitate repoſitum, ære alieno ſolutum, ærario divitem, ſe verò annis gravem, curíſque fatigatum conſpiceret, anno 1388. ſuâ ſponte à Præſulatu receſſit, ejúſque onera in Wernerum à Kônigſtein, Proneporem ſuum, Capitulo conſentiente, devolvens, ſeceſſit in arcem Welmichiam, ac in ea ad beatam ſe mortem diſponens, hanc pauculos poſt menſes oppetiit; ſubindéque Confluentiam vectus, nunc in Æde S. Caſtoris marmore, hos verſus exprimente contegitur.

Præſulis eximii jacet hìc corpus venerandum
Cunonis, geniti per Falckenſtein decorandum
Grande genus. Superis hunc pie junge Deus

Wernerus Cunonis, ùt diximus, Pronepos, ac proximus in Pontificatu Succeſſor, dum cum cæteris Rheni Proceribus adverſus Coloniam Agrippinam, in iſtos arrogantiis hinc inde peccantem, arma exerit, & in campum procedit, gravi morbo ſub ipſa expeditione correptus, in Caſtro Bûrenbergico ter decimo regiminis anno è vivis excedit, ac in Eccleſia D. Caſtoris è regione ſepulchri, in quo Proavunculus ejus

quieſcit tumulo ſic ſignato potitur. *Hic requieſcit Reverendus Dominus D. Wernerus de Kônigſtein Archi-Epiſcopus Trevirenſis. Qui obiit Anno Domini MCCCCXVIII. quarta Menſis Octobris.*

Jacobus Badenſis ad componenda litigia, quibus Coloniæ Agrippinæ cives, contra Senatum, & hic contra iſtos pulſaverant ad Aulicum Imperii forum, ab Imperatore delectus, & amandatus Judex, ſiniſtro ibidem accidente proſternitur, quo & ætatis ſuæ quadrageſimo, Epiſcopatûs autem anno nono confectus, in Ædem S. Florini ad tumulum infertur. In quo poſteritas hoc Epitaphium legit.

Virginis à partu dum Luſtra trecenta duobus
Addita fluxiſſent, ageret ſub Sydere Tauri
Et jam phœbus equos Cœli regione fugaces,
Subduxêre Virum properantia fata Jacobum,
Illuſtrem Badenſis humi, quem clara regentûm
Stemmatá nobilium dederant, nec non Trevirenſis
Sacra Dioëceſis, totum vulgata per orbem.
Cujus in octonos dignus Pralatus in annos
Sceptra manu tenuit, & pacis amator & aqui,
Hinc abiens quinto Majas ſubit aſtra Kalendas,
Conregnaturus, ſpero, ſine fine Tonanti.

Richardus Archi-Epiſcopus integritatis ac virtutum defuncti memor, monumentum hoc Poſteritati poſuit.

Joannes Iſenburgicus diutino morbo conſumptus, è Caſtro Montaburino ad vitam meliorem decedit, indéque ad Confluentes devectus, in Baſilica mox dicta hoc ſub elogio anaſtaſin univerſalem expectat. *Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Joanni, ex generoſa familia Dominorum ab Iſenburg, & Grentzau, qui ad hujus Sancta Trevirenſis Eccleſiæ gubernacula unanimi Capituli conſenſu adhibitus; cùm Eccleſiam, rémque publicam intra graviſſimos Imperii motus inſigni pietate, & animi conſtantiâ adminiſtráſſet, multíſque pro Chriſti gloria, & Eccleſiæ ſuæ ſalute laboribus ſuſceptis, & itineribus confectis, in Concilio Tridentino in adverſam valetudinem incidiſſet, & paucis poſt annis patientiſſimè tolerato morbo, ex hac vita in æternam requiem deceſſiſſet, Joannes Archi-Epiſcopus Succeſſor ex nobili Stirpe* Von der Leyen, *pietatis & virtutis cultor, defuncto Principi poſuit. Electus fuit in Archi-Epiſcopum Anno Domini MDXLVII. Menſe Aprili die XX. obiit Anno MDLVII. Menſe Februario, die XVII. in Arce Montaburenſi, ſuæ ætatis XLIX.*

Joannes à Petra breviſſimo morbo, ſeu, ùt creditum, medicinâ mortiferâ, per incuriam Medici propinatâ, ſublatus, in eadem Æde his ſub literis marmori mandatis, quieſcit. *Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principi ac Domino, D. Joanni electo & confirmato in Archi-Epiſcopum Trevirenſem, S. Romani Imperii Electori &c. qui cùm annis X. Menſes X. Archi-Epiſcopatui prudenter præfuiſſet, Confluentiæ in pace quievit die*

X. Februarii Anno MDLXVIII. Succeſſor honoris causâ poſuit.

Joannes Schadland Ordinem S. Dominici in Conventu Confluentino Profeſſus, Sacrarum Scripturarum Doctor, hæreticæ pravitatis Inquiſitor: poſt Legationem pro Urbano VI. in re graviſſima feliciter actam, ad Culmenſem primùm, dein ad Hildeſienſem, expoſt ad Wormatienſem, ac demùm ad quartam, nimirum ad Auguſtanam Epiſcopalem Cathedram Pontificiâ vocatione promotus, hanc ultrò, & amore pacis ad annum 1370. dimiſit, ac ad domum Profeſſionis ſuæ religiosâ humilitate reverſus, tranſacto in ea triennio, ad æterna deceſſit, ſepultus ibidem ſub epigraphe, quæ mox dicta munera, ab ipſo benè geſta, recenſet.

Bertramus ejuſdem Inſtituti Profeſſor, Eccleſiæ Thefelicenſis Antiſtes, & Epiſcopi Metenſis Suffraganeus, poſthabito monumento, quod in Metenſi Conventu ad ſiniſtram partem Chori ſibi ſplendidè adornari curaverat, in Eccleſia Confluentini Conventûs, cujus filius erat, ſepulturam præelectam obtinuit, mortuus anno 1387. die 21. Menſis Januarii; de quo Trithemius in lib. de Script. Eccleſ. hæc habet. *Vir divinis Scripturis eruditus, & inter Doctores ſui temporis famoſiſſimus, ingenio præſtans, & clarus eloquio, declamator quoque Sermonum egregius.*

Joannes à Monte Epiſcopus Azotenſis, Suffraganeus Trevirenſis, & Adminiſtrator Eccleſiæ S. Wendelini, prout in Confluentino Prædicatorum Cœnobio religioſis ſe votis obſtrin-

xerat, ita & in ejus Eccleſia tumulum, quem elegerat, eſt conſecutus, piè mortuus anno 1442. die 17*mâ* Menſis Decembris.

Henricus à Rivenaco, agri Confluentini vico, itidem Dominicani Inſtituti Profeſſor, poſtquam Archi-Epiſcopo Colonienſi ſummâ laude à Suffraganeatu fuiſſet, Confluentiæ in domo Profeſſionis ſuæ defunctus, depoſitus ibidem fuit in medio Chori ſub lapide, hæc repræſentante. *Hic jacet R. in Chriſto P. & D. D. Henricus de Rivenaco, Magiſter Theologiæ, Inquiſitor hæreticorum, Ord. Prædicatorum, Epiſcopus Venicomponenſis, filius hujus Conventûs. Obiit anno Domini MCDXCIII. die XIV. Octob.*

Henricus Kalteyſen Archi-Epiſcopus Nydroſienſis & Cæſareenſis, anno MCCCCLXV. 2*dâ* Octobris mortuus, in eadem PP. Dominicanorum æde ſub honorario monumento quieſcit; de quo in mox ſequenti capite rurſus agendum.

Otto à Senheim Epiſcopus Azotenſis, duorum Archi-Epiſcoporum Trevirenſium Suffraganeus, nec non in Pontificalibus, & in Spiritualibus Vicarius Generalis, dum Archi-Dioëceſin inferiorem ſolitâ ſolicitâque viſitatione perluſtrat, in Abbatia ad Lacum anno 1662. 11*mâ* die Novembris defungitur, ac humandus ad Ædem mox dictam portatur.

CAPUT XXV.

De priſcis ac laude dignis Confluentiæ Civibus.

REmotiora ſæcula Virorum inſignium non pauca ſæpe merita in immeritam oblivionem traxiſſe, ex annalium monumentis vel minus accuratè congeſtis, vel omnino extra curam relictis, attentior poſteritas cernit, ac luget; eâque ſub infelici ſorte Confluentiam quoque allapſam eſſe noſtris temporibus, vel inde ſolùm licet colligere, quod ejuſdem præclari, perennémque memoriam promeriti cives (: horum ad minus unum quovis ſæculo ab ipſa fuiſſe vel Eccleſiæ vel Imperio datum, inficias vix quiſquam ibit :) in faſtis Trevericis nullo quaſi loco, & elogio pene nullo colantur; eorundem quippe nonniſi duos Browerus in ſuis Annalibus, ac ſolos tres Hiſtoria Trevirenſis Diplomatica memoratu & obſervatu dignos in medium proferunt: quorum quæ nomina, quæque merita fuerint: quíque præter iſtos ſimiliter commendari, chartæque mandari meruerint, ex nunc referendis conſtabit.

Agmen illorum ducunt Prænobiles ac generoſiſſimi Milites, quibus gentile agnomen *à Confluentia*; quorúmque anteſignanus Cuno, Alberti de Confluentia filius, *opulentiâ non minùs, quàm religionis ſtudio clarus, vitam communem apud Sancti Florini Clerum opibus ſuis attollere geſtiens, luculentos ſanè fundos Eccleſiæ S. Dei Genetricis Mariæ, & inclyti Confeſſoris Florini, in Villis Bubenheim, Wiſſa, Aſca, Bunela, cum agris & vinetis obtuliſſe non contentus, adjecit in minore Confluentia trans Moſellam tres vineas, & in majore Confluentia, quidquid poſſidebat in loco, cui Camnethes erat nomen; atque hanc donationem Egilbertus Archi-Epiſcopus in ſuo diplomate ab origine repetens, factam fuiſſe teſtatur ſexto Idus Novembris anno Dominicæ Incarnationis MLXX. Ita Browerus in Annal. Trevir. lib. 12. num. 17.*

Albertus à Confluentia *acerrimi vindicis laudes*, ùt iidem Annales ad annum 1212. *pag. 114.* loquuntur *apud omnes meritò poſteros rariſſimâ in Dominum fide eſt conſecutus*, dum nempe Comitis Naſſovii gladio, quo is Theodoricum II. odio ſtimulante petebat, ſuum pectus objecit, ictúque lethali confoſſus, & Archi-Præſuli ſervavit vitam, & ſuo ſic nomini adgenuit immortalitatem, utpote perpetuò dignus, qui inter fideles Principum Miniſtros, inter Patriæ Patres, inter magnanimos Orbis antiqui Viros cum primis deprædicetur.

B. Petrus à Confluentia è mox dictorum Militum perilluſtri proſapia genitus, circa ſæculum

xv. ſanctitate & eruditione refulſit: in primo námque adoleſcentiæ flore omnibus ſimul rebus ac ſpebus renuntians, ſub Regula S. Dominici totum ſe uni Chriſto devovit: erat ei facies elegans, præſtans ingenium, ardens ſanctimoniæ ſtudium, ingens ac tenera erga B. Virginem, & S. Urſulam religio; quarum etiam apparitione in ultima lucta ſolatus, innocentem ſubinde vitam in Conventu Baſileenſi, in quo & togam converſionis induerat, beatiſſimo fine in ætate florente concluſit. *Leander Albertus lib. 5. de Viris inſignibus Ord. Præd. pag. 227. Ephemerides Dominicano-ſacræ ad Cal. Octobris*: Scriptores, qui viculum, ad os Arulæ in Helvetia ſitum, ac Confluentia dictum (: *vide dicta cap. primo.* :) Patriam Beato Petro attribuunt, exinde hallucinari probantur; quod hic Dei Servus loco nobili & peramplo ex omnium ſenſu ſit natus, teſtantibus autem graviſſimis literis, quas anno 1752. ex vicinia hujus Pagi recepimus, modicus & ignobilis hic locus nullum unquam virum nobilem ſuos inter incolas vel cives retuliſſe, aut conſpexiſſe ſciatur; nec extent indicia, quæ vel tenuiter probent, illuſtri aliquando proſapiæ natalem ibi domum fuiſſe.

Cæterùm quod de mox fata Militum Confluentinorum ſtirpe ſub finem ſæculi xv. quidam ſuperfuerint ſurculi, liquet ex iis, quæ à Browero in Annalibus *lib. 19. num. 182.* narrantur; quod nempe inter ſex nobiles & à morum integritate præclaras ſanctimoniales Dominas, quæ ſub annum 1495. è Boppardienſi Mariano, ſi-

múlque Benedictino Parthenone deſtinabantur Trevirim, ut in Horreenſi ibidem Cœnobio diſciplinam novam erigerent, atque ſancirent, præfulſerit una, cui nomen Walburgis à Confluentia: unde quid vetat, hos noſtros Milites his elogiis accumulare! *Homines divites in virtute: qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum; hæreditas ſancta nepotes eorum, & in teſtamentis ſtetit ſemen eorum. Eccli. 44.*

In ſæculo xv. virtutum, ſcientiarum, ac dignitatum ſplendoribus inter ſydera Confluentina emicuit Henricus Kalteyſen, Ordinis Prædicatorum Alumnus, Sacræ Theologiæ Profeſſor, Sacri Apoſtolici Palatii Lector, duodecim eruditiſſimorum Voluminum Scriptor, hæreticæ pravitatis Inquiſitor, Sanctæ Crucis Prædicator, & Archi-Epiſcopus Nydroſienſis ac Cæſareenſis. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 335.* Ephemerides Dominicano-Sacræ *ad Cal. Octob.*

Sub idem tempus Andreas Kettwig & Confluentiæ, in qua lucem primam aſpexit, & familiæ Carmelitanæ, cujus ornamentum erat, claritudinem dedit, utpote qui pro doctrinæ, prudentiæque ſuæ meritis in ſacra Theologia ad Doctoratûs apicem, nec non in Univerſitate Colonienſi ad ejuſdem Theologiæ Profeſſuram & Decanatum evectus, interímque Lecturam ſententiarum libris *4tuor*, nec non Sermones per totum annum tribus libris eruditè ac concinnè complexus, utrumque opus juris publici fecit; mortuus anno 1477.

In ſæculo XVI. anno nimirum 1542. in Monaſterio ad S. Mathiam extra Trevirim Abbatialem Infulam omnium applauſus impoſuit Henrico à Confluentia hujus nominis tertio, qui, quod huic Infulæ ſuâ deinceps religioſitate, vigilantiâ, & maturitate honores ſplendorſéque contulerit, liquet ex his, quæ in ejuſdem Cœnobii tabulis ſic annotata leguntur. *Fratrum animas ſumma cum induſtria, ac ſingulari diſciplinæ regularis obſervantiâ rexit. Monaſterium fontibus auxit; & quia ſub ejus regimine in bello Brandenburgico duodecim admodum grandes campanæ fuerant ablatæ, Is quatuor alias earundem loco fecit fundi. Monaſterium vaſtatum reparavit, atiáque quamplurima benè geſſit, ac ædificavit, quibus nomen ſuum cum honore ad notitiam poſteritatis tranſmiſit, mortuus anno 1566.*

Bellum Brandenburgicum, de quo hìc facta eſt mentio, inedita Trevirorum geſta ad annum 1552. deſcribunt, atque inter luctuoſa plurima exprimunt & iſta. *Monaſterium S. Mathiæ omnibus bonis ſpoliatum eſt: è turribus duodecim campanæ dejectæ & ablatæ, altaria diruta, & imagines ſedibus ſuis propulſæ; inde in feneſtras Chori, Templi, Monaſterii, ſcamna, ſedilia, portas ſævitum; ferramenta, ſeras, clauſtra cives pretio militibus ſoluto emerunt.* Vid. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 760.*

Guilielmus Princeps Auriacus & Comes Naſſovius dum anno 1572. Ruræmundam, Geldriæ Civitatem, adoritur & capit, victor miles tum avaritiæ ductu, tum odio Catholicæ Fidei in Carthu-

Carthuſiam ibidem irrumpens, in obvios quoſque Monachos barbarâ immanitate deſævit: quoddam ex his hominum monſtris incidens in Servum Dei, cui nomen Severus, petulanter ac truculenter quærebat; cujas es tu? Utque is modeſtè reponit, Confluentinus ſum, ejus capiti ſtrictum mox enſem impingit, ruentem coram Marianis aris, ad quas confugerat, in culinam, ſociis adjuvantibus, raptat, ſemivivum denudat, ac ferventibus aquis perfundit, prout iis patuit, qui poſtridie trucidati corpus viderunt. *Arnoldus Havenſius in Hiſtorica Relatione duodecim Martyrum Carthuſianorum;* in qua & hæc cap. 5*to.* leguntur. *Accidit autem hìc res ſtupenda dignáque relatu. Cùm iſte D. Severus ferro caderetur ante altare, ùt dictum eſt, B. Mariæ Virginis, ſanguis ejus in altitudinem octodecim pedum emanavit & erupit, parietémque altari D. Virginis vicinum aſperſit, non ſine grandi miraculo; qui ſanguis à pluribus Viris gravibus, & præſertim Epiſcopis, ſæpe cum admiratione viſus, etiamnum & in hodiernum uſque diem in pariete apparet.* Quibus non incongruè licet ſubnectere, quæ à D. Cypriano in Epiſt. 9. ſcribuntur. *O beatam Eccleſiam* (: Confluentiam :) *noſtram! erat ante in operibus fratrum candida; nunc facta eſt in Martyrum cruore purpurea, floribus ejus nec lilia, nec roſæ deſunt?*

Eodem ſæculo in Societate JESU claruit Joannes Koch, patre pharmacopolâ genitus: de quo Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 3. pag. 228.* refert ſequentia. *Joannes Magirus origine Confluentinus,*

opimâ hæreditate relictâ, Societatem ingreſſus, in ea partim docendo, partim Miſſionibus obeundis bonam operam navavit. In Cathedrali Spirenſi 17 annis eccleſiaſten cum approbatione egit, ubi die octavâ Septembris anno 1609. ætatis 51. ad Superos commigravit. Edidit brevem admonitionem ad Epiſtolarem Diſceptationem Joannis Magiri Jeſuitæ, & Davidis Paræi Calviniſtæ Heidelbergenſis Moguntiæ anno 1604. in 4to. unà cum animadverſione Joannis Mulhuſini in Diſputat. ejuſdem Paræi. Plura de eodem Sotuellus in Biblioth. Scriptorum Soc. Jeſu.

Sub medium ſæculi XVII. floruerunt in Capucinorum Ordine Elias Sacerdos, & Audomarus Converſus: *iſte Concionator magni nominis, atque in proponendis controverſiis fidei tam diſertus ac ſuavis, ut omnium, eorum autem præcipuè, qui erant è Camera Imperialis Senatu, aures applaudentes per plures annos poſſederit; exhauſtus labore ad quietem tranſiit Spiræ 3. Februarii Anno 1674.* Provincia Rhenana Minorum Capucinorum *lib. 3. cap. 2. pag. 111.*

Audomarus opulentis parentibus natus, in paupertate Seraphica divitias veriores invenit; feſtinus ad officia ſacra, nec non in meditationis ſtudio ſummè fervidus ac verſatus, pinguem inde ſpiritum in multa ſuavitate fovebat. Otii publicus ac continuus oſor, ſibíque licet decrepito connivens in nullo, ſedulò miniſtrabat infirmis, apportabat ligna, inſtruebat focum, purgabat legumina, reficiebat lacera, lavabat immunda, nullíque non ultrò ſuam opem, prout poterat, pius ſenex dica-

bat: inter catera, ipſomet fatente, indies precabatur Deum, ne diutino probaretur languore; cujus voti compos effectus, dum ſub campanarum pulſu germanus ejus frater ad ſepulchrum defertur, apoplexiâ tangitur, atque ſub fama religioſitatis eximiæ moritur Confluentiæ 4. Novembris Anno 1671. Prov. Rhen. mox dicta lib. 3. cap. 9. pag. 139.

Agmen noſtrorum, olim celebrium, nobíſque compertorum civium honorificè clauditur ab evangelico, ſeraphicóque præcone; cujus Lucas Waddingus in libro de Scriptoribus Franciſcani Ordinis mentionem hanc facit. *Victor Wintrscus, Germanus Confluentinus, Regularis Obſervantiæ Provinciæ Coloniæ diſertus Concionator, edidit librum concionum, qui dicitur; Afflictos Conſolans, ſeu ſuccincta methodus, quâ quilibet hoc erumnoſo tempore ex miſeriis maximam haurire valeat conſolationem. Colonia apud Joannem Heningium anno 1644.* Huic eâdem ex familia ſociamus hìc loci concivem, qui cæteroquin inter recentiores in paragrapho ſecundo proximè ſequentis capitis referendus erat, ac in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 3. pag. 233.* hac ſub laude notatur. *Hubertus Schneid, præclariſſimus Concionator, eo in munere obiit Confluentiæ anno 1744. editis duobus voluminibus ſermonum in Dominicas, & Feſta.*

CAPUT XXVI.

De Recentioribus Confluentiæ Civibus, quorum nomina literis commendari merentur.

EX mox enarratis evidentiſſimè patet: non eſſe dubitandi locum, quin præter jam dictos alii quoque non pauci Confluentini cives, quorum geſta & merita faſtis inſeri, ac coram poſteris deprædicari valerent, lapſis à temporibus ſpiſſa in caligine, ſive in immerita fuerint oblivione ſepulti; ex ea autem ut nonnihil capita eorundem leventur, atque poſteris aliquatenus ſub oculos cadant, à diebus nuperis, noſtra ſcilicet ab ætate, id eſt, ab anno 1682. uſque ad annum 1653. colligimus, & adducimus Viros, quos Confluentia genuit, virtus aluit, labor excoluit, Deus autem creſcere, altiúſque aſſurgere fecit, hos, inquam, nominandos, commendandóſque aſſumimus, quatenus ex iis prudens Lector concludat, quod Confluentia, ſicut temporibus noſtris, ita & per anteriora ſæcula non ſterilis, ſed fœcundiſſima parens audierit, quæ præclariſſimos ſæpe filios tum Eccleſiæ, tum & Imperio genuit, injuria autem vel incuria

temporum innominatos & illaudatos reliquit. Porro qui mox dictis à temporibus utrique huic Reipublicæ ornamentum & accrementum attulerint, in ſequentibus conſpiciendum exponimus.

§. PRIMUS

De Confluentinis Civibus;

Qui ætate noſtra in eccleſiaſtico ac civili foro ſpectabilius eminuerunt.

Archi-Epiſcopus.

PHilippus Carolus Comes ab Eltz in Kempenich: qui anno 1732. v. Idus Junii concordibus Metropolitani Capituli votis ad Cathedram Moguntinam evectus, in ea piè, providè, ac feliciter ſedit uſque ad annum 1743. quo XII. Cal. April. ad vitam alteram optime comparatus deceſſit.

Epiſcopus.

Joannes Hugo à Gaertz: hic quis fuerit, Oſnabrugæ, ubi obiit, hoc ejus epitaphium loquitur. *Hic jacet, in quo, dum viveret, effigies S. Caroli Borromæi ſtetit; dixiſſes ipſiſſimum, niſi nomen ſciviſſes: Joannes Hugo à Gaertz Epiſco-*

pus Dorytenſis, Miſſionum Septentrionalium Vicarius Apoſtolicus, denatus anno MDCCXVI. die XXV. Decembris: Effigiem ipſam in ſe dum faciebat, dabat umbram humilitas, lucem puritas: Zelus, ſcientia, oratio, ſuî abnegatio grata erant, quia ſancta, mixtura colorum: Solus argenteus deerat, & habuiſſet, niſi pauperes fuiſſent, quibus & ſe, & ſua dedit: hoc reliquit, quod hìc jacet, catera habet Cœlum, tu Viator exemplum. R. I. P.

Metropolitanæ Moguntinæ Præpoſiti.

Hugo Wolffgangus L. B. à Keſſelſtatt.
Carolus Emericus Franciſcus L. B. à Bürresheim
Hugo Franciſcus Carolus Comes ab Eltz in Kempenich.

Metropolitanæ Trevirenſis Præpoſiti.

Joannes Fridericus L. B. ab Eltz in Kempenich.
Carolus Caſparus L. B. à Keſſelſtatt.
Philippus Carolus Comes ab Eltz in Kempenich.
Joſephus Franciſcus L. B. à Keſſelſtatt.

Metropolitanæ Moguntinæ Decani.

Hugo Wolffgangus L. B. à Keſſelſtatt.
Carolus Emericus Franciſcus L. B. à Bürresheim

Metropolitanæ Trevirenſis Decani.

Joannes Wilhelmus L. B. ab Eltz in Eltz.
Carolus Joſephus L. B. à Schmittburg.

Cathedralium & Equeſtrium Eccleſiarum Prælati.

Lotharius Adolphus L. B. à Keſſelſtatt. Præpoſitus Spirenſis.

Hugo Franciſcus Carolus Comes ab Eltz in Kempenich. Præpoſitus Mindenſis.

Joſephus Franciſcus L. B. à Keſſelſtatt. Decanus Bleidenſtadienſis.

Lotharius Franciſcus L. B. à Bürresheim. Decanus Odenheimenſis.

Vicarii in Spiritualibus Generales.

Hugo Franciſcus Carolus Comes ab Eltz in Kempenich. Moguntiæ.

Damianus Henricus Comes ab Eltz in Kempenich. Treviris.

Franciſcus Ludovicus Carolus L. B. de Boos à Waldeck. Treviris; & in Metropolitana ibidem Cantor.

Præſides Summi Magiſtratûs Moguntiæ.

Philippus Carolus Comes ab Eltz in Kempenich. Per quatuor circiter luſtra.

Joſephus Franciſcus L. B. à Keſſelſtatt. Annis undeviginti.

Emericus Joſephus L. B. à Bürresheim. Ab anno 1751. uſque in præſens.

Cancellarii.

Carolus Erneſtus L. B. à Bürresheim Proto-Cancellarius Sereniſſimi Cardinalis à Bavaria, & moderni Epiſcopi Leodienſis : Metropolitanæ Trevirenſis Cuſtos, & Cathedralis Leodienſis Archi-Diaconus.

Joannes Petrus à Trarbach, de quo Illuſtriſ. Honthemius in Hiſtoria Trevir. Diplom. refert ſequentia. Vir erat eâ Juriſprudentiæ (ſed nec minore integritatis:) laude clarus, ut gravior Juris Conſultus ad univerſum Rheni tractum eo ævo non fuiſſe putaretur. Anno 1724. 30. Aprilis vitâ functus, in Baſilica B. M. V. Confluentiæ juxta Altare Agoniæ Domini depoſitus eſt ſub hac Epigraphe. *Qui tranſis, ſta, & lege. Tranſiit bene dicendo, qui hìc quieſcit, Joannes Petrus à Trarbach, Confluentiæ natus anno 1651. nil puerile geſſit, inter confluentes artes & virtutes adolevit; Juriſprudentiæ vacavit, ut ſciret ſuum cuique tribuere; ad magna aſpirans, Spiræ Cancellariæ Director factus; trium deinceps Electorum Trevirenſium Conſiliarius intimus fuit; demum partes Cancellarii annis novem egit, inter partes ſemper medius, quas vel amicitiâ compoſuit, vel æquitate diremit. Toties ſtetit pro juſtitia, quoties pro tribunali ſedit. Fuit ingenio fœcundiſſimus; lin-*

quâ & calamo facundiſſimus; animi magnitudine, judicio, conſilio, longo rerum uſu, vitæ integritate, in proximum charitate, in Deum religione, ne quid ulli deberet, conſtanter omnibus ſatisfecit. Debitam Creatori animam lubenter reddidit anno vitæ LXXIII.

Joannes Arnoldus de Solemacher à Namedy, primùm Electori Colonienſi à Conſiliis Aulicis, dein Trevirenſi ab intimis Conſiliis Statûs, plenus dierum, obiit anno 1735.

Joannes Mathias Nobilis à Coll, magni Soceri, nimirum Joannis Arnoldi mox dicti digniſſimus gener, & immediatus ſucceſſor, podagrâ conſumptus deceſſit anno 1752.

Officiales in Curia Confluentina.

Valentinus Scheiden, Canonicus S. Florini, & ad D. Virginem Paſtor. Obiit anno 1692.

Joannes Finger, Decanus ad S. Florinum, defunctus anno 1711.

Joannes Hugo à Gaertz, poſt Magiſtratum annis paucis hac in Curia geſtum, adeptus eſt altiorem gradum, ùt diximus ſupra.

Joannes Henricus Jacobi ab Ehrencron, antè aditam hanc dignitatem Conſiliarius Electoralis Aulicus, & Regiminis Secretarius, deceſſit anno 1716.

Rectores Univerſitatum.

Hugo Emericus L. B. ab Eltz Treviris; Metropolitanæ ibidem Archi-Diaconus tit. Sancti Mauritii in Tholeja.

Carolus Caſparus L. B. à Keſſelſtatt; Metropolitanæ ibidem Præpoſitus, ac Urbis Pro-Princeps.

Damianus Henricus Comes ab Eltz in Kempenich, Treviris; ac in Metropolitana ibidem Archi-Diaconus tit. S. Caſtoris in Cardona.

Martinus Nickenich, Moguntiæ ſemel iterúmque vid. §. ſeq.

Modeſtus Manheim, Treviris ultra bis decem annos continuos. Vid. §. ſeq.

Lotharius Franciſcus L. B. à Schmittburg, Eccleſiarum Metropolitanæ Trevirenſis Archi-Diaconus tit. S. Mauritii in Tholeja, & Cathedralis Leodienſis Canonicus Capitularis, anno 1753. quo hæc typis dabantur, Rectoratum Trevericum nemine non applaudente adibat: quem Superi ſeris poſteris in ubere benedictione conſervent; interea verò Lector benevolus notet, quod Confluentia ab anno 1681. numeret annos viginti & octo, quibus ſuos per cives Auguſtæ ſuæ literatam Rempublicam rexit: Undè non immeritò novæ ſibi gloriæ ducit, quod Lotharius Franciſcus, perilluſtris Civis ſuus, auſpice Deo, & poſtulantibus ipſius meritis, continuet hunc clavum tenere.

Confluentina hæc decora prout plenitudine numeri, ita & claritudine ſanguinis, optiméque geſtorum ſplendoribus illuſtravêre plurimùm, & etiamnum ornant Illuſtriſſimi S. R. I. Comites de Petra: inter quos tamen Carolus Caſparus: (Hic è gente Petrina primus extitit, qui Subſellia Comitum virtute poſtulante conſcendit:)

quaſi Stella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena in diebus ſuis refulſit, utpote ſemper viſus, ſempérque dictus noſtri Principis coram exteris & indigenis honor, Patriæ pater, Confluentiæ tutor, Pauperum altor, Orphanotrophii noſtri præcipuus ac munificus author, bonorúmque omnium ùt amator, ita & defenſor ac anteſignanus: ætate gravis, & meritis opulentus deceſſit anno 1740.

Petrinis ſyderibus non minorem in eodem Polo conſociant lucem Illuſtriſſimi S. R. I. Comites de Metternich, de Baſſenheim, de Eltz in Kempenich: Liberi Barones de Eltz in Eltz, de Keſſelſtatt, de Schmittburg, de Bürresheim, de Boos, de Wildberg, aliíque plures, ceu quibus applaudit Trevericus, & huic contiguus Teutonicus Orbis, quod multùm ac ſæpe ad primas eos Orcheſtras non tam Principum favor & gratia, quàm congenita præſtantiſſima virtus, & merita præclara levârint; unde & ex ſummitate graduum, quos in Aulis Principum non tam tenuiſſe, quàm exornâſſe ſciuntur, prudens Lector evidenter perſpiciet gloriam, quæ exin & in illorum proſapias, & in civitatem patriam continuâ claritate dimanat.

§. SECUNDUS

De Recentioribus Confluentiæ Civibus

Qui in Regularium Sodalitiis lucidius emicuerunt.

In Ordine S. Benedicti.

MOdeſtus Manheim ad S. Mathiam extra Trevirim Abbas : annis ſex ſupra viginti, quibus præeſt, Ærarium monaſticum ſub hoſpitalitate inſigni inſigniter locupletavit. Dominia ſua ædificiis plurimis, iiſque magnificis & accommodis auxit. Pomarium & hortos ſalientibus aquis ad abundantiam & artem inſtruxit. Ampliatis inferioribus Eccleſiæ ſuæ feneſtris, pleniorem ei lucem, aliàs deſideratam, adduxit. Ejuſdem Eccleſiæ navim & chorum lapide marmoreo ſtravit. Scamnum, ad quod fideles Euchariſtico pane cibantur, pariter ex marmore, & affabre elaborari curavit. Stalla choralia ex pyro eleganter ſculpi; Aram principem ex argento cudi; illam quoque S. Mathiæ ſplendore nobili, æréque non parco aſſurgere fecit. Reliquiis S. Modeſti, ſui ex nomine Patroni, & Trevirorum Epiſcopi, argenteam non modò ſtatuam,

ſuperantem triginta marcarum pondus, ſed & duo argentea brachia: duo quoque ſimilia brachia Reliquiis SS. Eucharii & Valerii Trevirenſium Epiſcoporum dicavit. Calice aureo, pretioſis affatim illuſtrato lapidibus; grandiore lampade, ſex candelabris magnis, cruce his proportionatâ, omnibus ex argento cuſis; nec non paramentis ſacris, pretio numeróque conſpicuis, ſacrarium aráſque ditavit, pluráque alia molitus eſt, & ad hunc uſque diem molitur pro gloria Dei; ita ut abſque palpo liceat de eo ſcribere, quod decorem domûs Dei verè diligat, ardenter zelet, operíque ſtudioſiſſimè mandet. Porro ſi hæc conferantur cum illis, quæ capite præcedente relata ſunt de Henrico à Confluentia, ſimiliter ad S. Mathiam Abbate, quid prohibet demum dicere; uterque *in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum; & in utriuſque diebus putei aquarum emanaverunt. Eccli. 50.*

Martinus Nickenich, Abbas in Monte Specioſo S. Jacobi propè Moguntiam, ſacræ Theologiæ Doctor, ac Univerſitatis Mogonæ vice altera Rector.

Amandus Schell Abbas in eodem Monte, Sacræ Theologiæ Doctor, & mox dicti Martini ex Sorore Nepos.

In Ordine Ciſtercienſi.

Stephanus Jung Abbas Salemitanus, vulgò in Salmanſweiler, ſimúlque Status Imperii. Imperiale hoc & exemptum Monaſterium in Suevia,

non procul Uberlingâ, eſt ſitum, unde per epiſtolam, anno 1752. 12. Julii datam, relata fuêre ſequentia. *Stephanus I. Confluentiæ natus, ac dictus Chriſtianus Jung, ob eximia naturæ & gratiæ dona ad apicem Abbatialem promotus, eo fructu per plures annos præfuit Monaſterio huic celeberrimo, ut ejus digniſſima perſona quaſi fundatoris in recenti apud omnes vigeat memoria. Ædificium Monaſterii, ſub Anteceſſore ſuo igne conſumpti, jam inchoatum perfecit tanto decore & ſplendore, ut tum quoad amplitudinem, tùm etiam quoad magnificentiam æquiparari poſſit regiæ ſtructuræ, omnia Imperialia Monaſteria longè ſuperans divitiis ac majeſtate. Erat eximius cultor B. Mariæ Virginis, cujus patrocinio ſortem ſuam tam proſperè geſtam adſcripſit, ante annos circa triginta in fama Sanctitatis defunctus.*

Ferdinandus Peſgen, primùm Prior, dein Abbas Clauſtri Himmenrodenſis; ſiniſtrâ valetudine, aliiſque adverſis accidentibus fractus, eâ in dignitate fere per biennium ſtetit.

Leopoldus Camp, immediatus Ferdinandi ſucceſſor, & antea Sacro-Sanctæ Theologiæ Lector, prudenter & exemplariter præfuit annis undeviginti. Magnificam Clauſtri Eccleſiam à fundamentis erexit, noviſque campanis inſtruxit. Obiit anno ætatis 52. humanæ ſalutis 1750.

Bernardus Colonia Abbas, his adhuc diebus Cœnobio Mariæſtadiano præeſt, ac prodeſt.

In Ordine Præmonſtratenſi.

Ludovicus à Coll Abbas in Rommerſdorff:

annis XV. vigilanter ac discretè gubernacula tenuit, piè mortuus anno 1746.

In Ordine S. Augustini.

Joannes Schunck, in Clusa Ewerhardina Prior: cujus discretissimus zelus observantiam regularem, prudentia verò œconomica reditus annuos insigniter amplificaverunt; unde, licèt is pridem obierit, nomen tamen ejus in Ordinis ac sæculi memoria adhuc commendabiliter vivit.

In Ordine Carthusianorum.

Nicolaus Pauli, Carthusiarum Ruremundæ, Treviris, ac Rotilæ Prior: duobus abhinc annis bono fine decessit.

In Societate Jesu.

Ludovicus Doëtsch, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctor, ejusdémque in Universitate Colonienſi ordinarius Professor, Theologicæ ibidem facultatis Decanus, insigniorum aliàs Collegiorum, nunc verò Treviris in Seminario Nobilium dignissimus Rector, nupérque Provinciæ ad Tractum inferioris Rheni Præpositus Provincialis.

Hermannus Manheim, prælaudati Abbatis ad S. Mathiam germanus frater, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctor, ejusdémque apud Treviros Professor publicus: subinde domûs, quam primæ probationis appellant, in annum tertium vigilantissimus ac religiosissimus Rector; anno æta-

tis 43*tio.* humanæ verò Salutis 1743. lentâ tabe depaſtus, ſuos adhuc inter Socios his in elogiis vivit.

In Theologica cathedra cùm annos fere ſex verſatus cum commendatione fuiſſet, Præſidibus viſum eſt tandem, moderandis eum, inſtituendiſque tyronibus noſtris præficere: quam ad rem eam continuò dexteritatem attulit, ut factus quodammodo ad hujus adminiſtrationem muneris fictúſque videretur.... Verùm oſtenſus nobis, non datus videri potuit; tabes enim, quæ tacitè graſſari viſa eſt per viſcera, muneris tam laborioſi aucta & paſta moleſtiis, apertiori jam Marte aggredi, & labefactare ejus vires cœpit. Ille autem toto, quo cum morbo tam lento & gravi conflictatus eſt tempore, ejuſmodi fuit, ut, quò plus quotidie corpus frangeretur, hoc magis animi fortitudo & patientia invaleſceret. Non cogere ipſa eum ægritudo potuit, ut quietem & negotiorum ſuorum vacationem admitteret. Vix adduci ſupremis vitæ menſibus potuit, ut, cum ex pulmonum vitio & gutturis raucedine vocem ægrè moliretur, adjutorem ſibi pateretur adjungi, qui verba ad Novitios ſtatis diebus faceret. Cætera verò munia ita obire conſtanter perrexit, ut non prius fere, quàm animam ageret, res ſuas deſierit: eâ ipsâ enim die, quæ ei ſuprema fuit (: fuit autem 28va Auguſti :) etſi fractas admodum vires eſſe perſentiſceret, tamen rem divinam de more ſuis præſentibus fecit, cœleſtique ſe ipſum epulo ad ſuſcipiendum æternitatis iter roboravit: quod à longo jam tempore factitabat quotidie, ſingulos ſibi dies fatales futuros ſuſpicans.

Cætera

Cætera per diem negotia administravit ùt aliàs, communi cum cæteris mensæ accubuit; à meridie Novitiis omnibus peccata expiantibus aurem præbuit. Dum ingravescente demum debilitate virium respirandíque difficultate victus ad valetudinarium circa horam 6tam vespertinam concessit; ubi cùm gravioribus obrueretur deliquiis, gressúmque mors ingentibus accelerare passibus videretur, sacro Oleo perunctus est, nec multò post placidè ac piè ad horam unam extinctus. Viri gravis, prudentis, religiosi, ac virtuti per omnia similis existimationem reliquit in omnium animis; qui ad rectè agendum non verbo magis alios, quàm exemplo accenderet, nec legum reverentiam ab aliis rigidius, quàm à semetipso deposceret, quanquam vitæ compositæ minùs amantibus quibusdam displiceret censoria Viri severitas. Lit ann. domûs imæ probat. S. J.

Christianus Sturm, Sacro-sanctæ Theologiæ Doctor, ejusdémque apud Ubios Professor publicus & ordinarius; vir pius ac rectus, præstantis quoque ingenii, & abundantis doctrinæ, paucis abhinc annis Coloniæ ad vitam meliorem pervenit.

R. P. Franciscus Ortman, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctor, Sacræque Scripturæ in Universitate Trevericâ Ordinarius Professor, qui à parvulo usque ad ingressum in Societatem Jesu bonis moribus ac disciplinis inter Confluentinos accrevit, omníque propterea jure nostros inter cives loco celebri reponi meretur, amicè nos monuit; in Provincia Superioris Rheni duos quoque Confluos, videlicet P. Randerath, &

P. Schleicher, plurium Collegiorum Rectores, pietate, ſcientiâ, & prudentiâ ſingulariter enituiſſe.

In Ordine Prædicatorum.

Joannes Cordier, Sacræ Theologiæ Magiſter, & in Provincia Teutoniæ Prior Provincialis.

In Ordine Carmelitarum Diſcalceatorum.

Cyrillus Knopp Provinciæ Rhenanæ Prior Provincialis.

In Ordine Minorum Capucinorum.

Michael Stammel Provinciæ Rhenanæ quartâ vice Miniſter Provincialis. Rhenanam Minorum Capucinorum Provinciam à fundationis ſuæ primordiis uſque ad annum 1750. in quinque libris, primùm Mogonis, demùm Heidelbergenſibus typis vulgavit: edidit quoque Epitomen Hiſtoricam, in qua ab anno 1208. uſque ad annum 1525. res Franciſcanæ generatim; dein verò ſolæ Minorum Capucinorum uſque ad annum 1747. in Chronologica ſerie repræſentantur. Heidelbergæ anno 1750.

Conradus Stock, Pancratius in Ordine dictus, *priuſquam nomen militiæ Seraphicæ daret, victorem tam in Patria, quàm apud exteros egit; ad tutioris ſubindè vitæ genus aſpirans, ejúſque tyre-*

cinium Treviris inter noſtros exorſus, vir deinceps non tacendæ religioſitatis evaſit. Primò námque diſciplinam monaſticam ſtudiis zeloſiſſimis proſequi, ad Officia ſacra cum primis ſemper accurrere, cellam rerúmque uſum ad normam ſtrictiſſimæ paupertatis componere, promptè ac ſimpliciter Superiorum juſſa capeſſere, in deliciis, in propoſitis, ac in jugibus exercitiis habuit. Sub oratione mentali fuſis perſæpe lachrymis animi exuberantiam prodere, hyemali quandoque tempore, ad morem Divi Alcantarini, medius inter apertas cellæ januam & feneſtram aërem inclementem excipere, ſub flagellationibus ſolitis valentiori ſemper manu carnem affligere, à contubernalibus perſæpe notatus, indéque vir pius & exemplaris à nemine non habitus fuit. Ad Miſſiones curámque paſtoralem vocatus, erudiendis pueris operam ſingularem locavit, decorémque domûs Dei, & avitam obſervantiam zelans, odia malevolorum incurrit; quin & in odium fidei ab heterodoxis militibus tentus, die integro captivitatem ſuſtinuit. Sacramenti Pœnitentiæ ſedulus, gnarus, ac impertæſus miniſter, fideles plurimos per multa etiam milliaria ad forum ſuum accurrentes attraxit, docuit, ſanavit, dicentes, eum eſſe virum ſanctum, qui ipſorum jam peccata præſciret: ob quod ſicut multas centenas ſacrilegas confeſſiones detexit, ita pro mercede laboris crebra quorundam murmura, & judicia ſiniſtra, Deo permittente, recepit. Triginta tres annos, quibus Dei Filius inter homines vixit, quotidianâ, eâque ſingulari veneratione recolere, & ad idem pœnitentes ſuos inducere ſolitus, multis id

precandi genus notum, ac familiare effecit. Duodecim annis circuminſeſſus à dæmone (: ùt ſuo aliquando viſitanti Miniſtro confidit:) ortas inde tentationes, ariditates, pergravèſque anguſtias uſque ad redemptionis ſuæ diem tacenter ac viriliter tulit. Jubilarius Ordinis ad pagos, rudémque plebem, quotieſcunque Superiori placuit, ob prædicationis verbum tam frequenter, quàm obedienter excurrit, donec tandem virtutis, vitæque ſtadium Anno 1733. 5. Maji Treviris pio fine complevit. Ita Provincia Rhenana Fratrum Minorum Capucinorum *lib. 3. cap. 1. pag. 95. & 96.*

Alexander Lauvenberg, ſub nomine Petri Damaſceni, *ſimilis factus homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſupra petram; bis tribus annis, quos in fabrica ædificii ſpiritualis inſumpſit, unicis ſuis curis præfixit, mori ſibi, vivere Chriſto, & chariſmata meliora ſectari: multo ſiquidem tempore abſtinens ab uſu vini, in hyeme perrarus ad focum, & ſtragulâ attritâ contentus, inſipidos quoque cibos, liberiorum ſibilos, vilia domûs ſervitia, aliáque moleſta & aſpera explicatiſſimâ fronte excipiens, quælibet carni, naturæve placentia, ceu incitamenta libidinis, angue pejus fugere, ac declinare ſtudebat, inde faciliter creditus, & à ſuo Confeſſario dictus, innocentiam è ſæculo latam, immaculatam in religione ſervaſſe. Pedibus ejus continuas fere rimas agentibus, adeóque monentibus fratribus, ut eos vel unguento vel ſolitâ lotione reficeret, ſubridens ajebat; an, & quoties antiquos eremi Patres ſuos pedes unxiſſe, vel la-*

visse putatis? sua in cella, ceu officina paupertatis Seraphicæ, nil præter Crucifixi imaginem, ac necessarios libros ferebat. Venerabilis Sacramenti devotissimus cultor, finitis Conventualibus Sacris, cuivis Sacerdoti, spretâ quâlibet inclementiâ frigoris, promptissime ministrabat ad aram: paucis singula, in bono cor ejus erat in diebus juventutis suæ. Talentum, quo eum largitas diviná dotârat, certabat cum primis: id verò in suo nihilo tam scitè librare didicerat, ut, dum super eo viri præcipui applausum non infrequenter edebant, ipse erubescere, fugere, tristaríque consueverit. Francisco I. & Mariæ Theresiæ Augustis, Heidelbergæ præsentibus: Carolo Theodoro dein, & Augustæ Elisabethæ Palatinis Electoribus, homagium ibidem sumentibus, emblemata cum lemmatibus & versibus chronographicis dedicans, eáque in extima Conventûs parte oculis eruditis exponens, nullius non calculo nemini secundus audivit; quam ejus felicem poësin coronabant novissimi, ejúsque infirmâ manu ad chartam redacti Rhytmi, quibus hic cygnus moriens Deo gratias pro doloribus cecinit, ac ardentissimè cupiit dissolvi, & esse cum Christo, qui & ejus spiritum à vinculis corporis in Conventu Heidelbergensi, in quo Theologiæ auditor erat, absolvit die 20. Mensis Octobris Anno 1746. Provinc. Rhen. *lib. 3. cap. 1. pag. 98.*

Godefridus Gratz, Hierotheus in Ordine dictus, atque in eo studiis philosophicis vacare jussus, *erat simplicitatis ac observantiæ tyrocinalis tenacissimus cultor, assiduus adorator Venerabilis Sacramenti, oris ac linguæ attentissimus cu-*

ſtos, ſuis Superioribus in omni ſimplicitate, ac ad nutum obediens. Octavo ante obitum ſuum die eundem ſuo Lectori prædixit, Medico Calvinicolâ ad præſagii eventum ſtupente. Paucis ante obitum horis inſtantiùs cœpit rogare, ac iterum, iterúmque multiplicare rogatus, ut vel ipſe tolleretur à lectica, vel inde amoveretur pecunia: circumſtantes phantaſiam ejus ex morbo turbatam cenſentes, ipſúmque nullis non modis ſolantes, tandem poſt ſepulturam ejus, dum excutitur & evacuatur lectica, ſub ſacco ſtramineo reperiunt bazium, & argenteam fibilam, quæ quidam amicus ſæcularis, dum nuper in eadem cella dormierat, ſe perdidiſſe aſſeruit. Mundum hoc lilium mors in feſto Sancti Aloyſii Heidelbergæ demeſſuit anno 1747. Provinc. Rhen. *lib. 3. cap 8. pag. 136.*

Hi ſunt Regularium Inſtitutorum cultores, noſtríque pariter commendabiles Cives, quorum nomina & merita vel inveſtigatio noſtra detexit, vel acquiſita ſcientia tenuit, vel amicorum cura ſuggeſſit: Interim verò prout pauca nobis Regularium diptycha inſpicere, ac conſulere licuit, ſic aliorum quoque Civium noſtrorum elogia multifariam in iis exprimi, pro comperto prudens Lector tenebit.

CAPUT XXVII.

De inauſpicatis Confluentiæ Caſibus.

EX iis, quæ Browerus in Annalibus lib. 9. num. 3. dicit, quod nempe *Godefridus Rex Nortmannorum ſecundâ incurſione in Ripuariorum ſeſe fines infundens* (: Ripuariis accenſeri noſtros cap. 1*mo* retulimus:) *atque uni prædationi ac vaſtationi agrorum, urbiúmque deditus, cuncta flammis & occidione pervaſtârit.* Ex his, inquam, faciliter inferre liceret, quaſi prima Confluentibus adverſantia fata referenda forent ad annum 882. ſive ad Nortmannica tempora: verùm quod hæc Paganorum, ex Dania transfretantium tetra colluvies Confluentiæ nil ſtragis intulerit, ſat apertè liquet ex iis, quæ Illuſtriſſ. Honthemius in Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 220.* dicit. *Nortmanni menſe Februario anni 882. Moſam tranſeunt, & in Ripuariorum pagum penetrant, cuncta vaſtando Bonnam perveniunt, atque inde Villàm Leudeſdorff occupant; unde, adveniente Francorum exercitu, noctu diſcedunt, & ſylvas perrepentes Prumiam attingunt... omnia diripiunt... ac cum ingenti præda, ad*

classem suam redeunt, illâque ad transmarinas regiones vela faciunt.

Non itaque Godefridum Nortmannum, benè verò temporibus posteris Henricum Luxemburgicum Comitem, qui ex post sub sexti nomine Imperii gubernacula tenuit, primum hostem Confluentia sensit: cùm enim ad annum 1185. Rudulphus Summæ Ædis Præpositus, & Folmarus Archi-Diaconus post obitum Arnoldi I. Archi-Episcopale Pedum manibus contentiosis prehenderent, ídque Clerus Confluentinus Folmaro, Henricus autem Rudulpho faveret, is sicut pluries alibi contra jus & æquum audentior ac licentiosior ierat, ità & hìc contra Clerum assurgens, cúmque divexans, reliquum simul civem in odia mutua, in turbas, & in contentiones pertraxit. Browerus in Annal. Trevir. *lib. 14. num. 178.*

Sicut autem hic concordiæ civicæ, ita Valeramus, Henrici conterraneus ac propinquus, Anno 1199. Confluentium ædibus nocentissimas faces admovit, fœdóque eas incendio idcirco vastavit; quia cum civitatibus finitimis non Philippum Luxemburgicum, Henrici VI. nuper mortui fratrem, sed Ottonem IV. ceu legitimum Imperatorem colebant. Quo ex utroque casu utique posteritas discet, tempore Schismatis eos sibi cautè consulere, qui, cujus sint, quoad possunt, occultant. Browerus *lib. 15. num 37.*

Tragœdia tertia his modis sua sumit initia. Henricus Vinstingius, decimus quintus Confluentium Princeps, contra avita eorundem pri-

vilegia imperioſiùs hinc inde diſponens, ſicque fomitem iracundiis, ac querimoniis ponens, anno tandem 1281. juxta Moſellæ ripam incipit erigere Caſtrum, quatenus eo munitus ſuis cives imperiis liberiùs ſubdere, cogere, domaréque valeret: ad quæ ùt hi in turbas ſenſim coire, fœdera vicinorum accerſere, Hentico ſe palam opponere, minis eum impetere, ac opus novum execrari non timent, Henricus in iras abiens, ac vindictam æſtuoſius ſpirans, militem extemplò conſcribit, colligit, adducit, Confluentiam obſidet, & anguſtiis ex omni parte conſtringit; dúmque hæc hac vi concluſa & pavida, ac jamjam ſuperanda conſpicitur, Nobiles, qui duces rebellium fuerant, celeri fugâ ſua capita ſalvant, miſerúmque civem conſilii inopem, & angoribus implicatum relinquunt, prout fuſius dictum eſt ſupra cap. 6.

Similis pene ſcena pandebatur ſub Dietero Naſſovio; ùt enim noſtri continuis exhauriri tributis, aliiſque oneribus ab eo prægravari ſe lugent, impatientiâ demum victi, anno 1304. in motus apertiores prorumpunt, obedire detrectant, ſéque, prout poterant, contrà vim inferendam obarmant: quos Dietetus, prout olim Vinſtingius, copiis fortioribus cingit, & in arcto poſitos ſeſe dedere ac obtemperare compellit. *Vid. cap. 6.*

At nunc & fides, nec non in Principem laude digna pietas tragœdiam Confluentibus parant. Balduinus, præſtantiſſimus eorundem Præſul, ùt Reinhardum Weſterburgicum Co-

mitem, Vaſallum ſuum, arce Grenzavicâ, cauſis exigentibus, privat; is ſpretis Balduini juribus, & admiſſis quorundam ſuppetiis, eam denuo ad annum 1347. ſtratagemate ſuam facere, copiis inſtruere, & munitionibus ſepire præſumit: Et en Confluentiæ ſuum ergà Principem animoſiſſimam fidem! Vix námque rumor auſum hunc ultra Rhenum detulerat, noſtri mox concorditer ad arma concurrunt, accenſiſque animis viriliter, at non æque feliciter contra hoſtem egrediuntur: dum námque ex itinere feſſi arma nonnihil ponunt, ùt levamen & reſpirationem admittunt, ùt manipulis diſperſis incedunt, incidunt in Reinhardinas inſidias, à quibus pars capitur, pars potior ac nobilior cæditur, pars arreptâ fugâ ſua capita ſalvat. Stragem hanc, III. Non. Aprilis factam, Civitas cum Principe vehementiſſimè doluit, íſque numeratis illi ſex mille florenis, damnum, quoad licuit, reſarcire contendit: Confluentia verò ſolemnibus ſe votis obſtrinxit, feriâ ſextâ poſt Paſcha ad ſeptem Eccleſias pompâ ſacrâ quotannis progrediendi, tum ut ad poſteros hujus cædis traduceretur memoria, tum ut interemptorum animæ in purgantibus flammis ſua inde reportarent ſolatia. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 173.* Annal. Trevir. *lib. 17. num. 133.*

Ad annum 1483. Confluentiam novi motus concutiunt, dum nempe quidam de vulgo quaſdam ædes ac ſtructuras ad Baſilicam Florinenſem ſpectantes tumultuariè adoriuntur: dum alii ex foſſis ac mœnibus civitatis veteris grava-

mina imprudenter eliciunt : dum denique alii aliis etiam modis exorbitare ac recalcitrare præſumunt: ob quæ ùt offenſam ſui Principis, qui Joannes Badenſis erat, graviter incurriſſe ſe dolent, veniam ab eo flexis genibus exorare jubentur, prout dictum eſt ſupra cap. 9.

Anno 1560. ſuggerebat non ſolus Satan, ſed & quidam ſuis commodis ac honoribus immodicè velificantes cives inſuſurrabant multitudini plebis, Confluentiam eſſe civitatem liberam, à vectigalibus pendendis immunem, populúmque in errore craſſo verſari, quod in hanc uſque diem Epiſcopi dominatum pertulerit : is itaque arrogantior inde ac protervior factus, Joannis à Petra, qui tunc Principatum gerebat, imperia non ſolùm cœpit exuere, ſed & dum in civitatem ingredi pro more parabat, portas ei occludere, quin & quoſlibet Leyanos à jure lignandi repellere, convitiis petere, aliíſque modis affligere ac deſpicere, impotenter ac impudenter eſt auſus : contra quos Præſul optimus, ne ſegniore morâ fomitem ſeditioni præberet, ùt ad annum poſterum, anno nimirùm 1561. (: ita referunt inedita Trevirorum geſta :) Militem colligit, & adducit, ipſóſque obſidione cingit ac premit, ad ſaniora quoque brevi reducit : *Dúmque plenus mœroris ac luctûs ſupplex ad genua ipſius ſe provolviſſet Senatus, magnáque cum miſericordia & dolore peteret, ut, ſi injuriam omnem pro delicti magnitudine condonare non poſſet, plus ſaltem loci apud ſe clementiam, quàm civium errorem habere ſineret; graviter increpitos, & ve-*

nia ſpe erectos demum à ſe demiſiſſe ſatis habuit. In cæteros verò concitatæ multitudinis authores nihil gravius ſtatuit, quàm ut alios multâ coerceret, alios exulatum ire cogeret. Annal. Trevir. *lib. 21. num. 133.* Videantur quoque dicta cap. 6. quibus adde, quod obſidionem, quam ibidem Trevirorum geſta dicunt aſſumptam, Browerus in Annalibus nonniſi intentatam affirmet.

Eorundem Annalium continuator Maſenius *lib. 24. num. 113.* refert, quod ad annum 1632. Galli & Sueci fuerint Confluentiæ ſub conditionibus quibuſdam admiſſi ac introducti; at verò quod obſidio prævia ad id Magiſtratum coëgerit, non ibi, ſed indicat alibi, nimirum in Epitome Annal. Trevir. *pag. 759. 760.* ubi dicit. *Elector Gallos, Suecico comitatu munitos, in arcem quintâ Junii die, magno Cæſaris, totiúſque Imperii dolore admiſit: unde Confluentia dein expugnata, tam Suecum quàm Gallum recipere coacta eſt; & Suecum quidem ad occupandum pontem, quod liberum ad Colonienſes tranſitum flagitaret: hos enim in ſpem prædæ ſibi inter ultimos labores ſepoſuerat.*

Philippus Chriſtophorus à Soëteren, à Gallis & Suecis anno mox dicto apud noſtros vel in priſtina ſua jura repoſitus, vel novo robore in iiſdem firmatus, acerbioribus ſtatim juſſis bilem populo, ac Senatui, prout & antea facere conſueverat, vehementiùs movet: unde tædiis & impatientiâ victi, Locum-tenentem ejus inceſſunt, deponunt, cuſtodiæ mancipant, aliúmque ex ſuis, traditis illi portarum clavibus, Satra-

pam & Præfectum ſalutant. Ad quæ quid Philippi Chriſtophori genius? Patrem ac Præſulem exuens, Imperii & Eccleſiæ hoſtem, Suecum nempe militem aliò jam digreſſum, in iræ & vindictæ partem accerſit; cujus ſolo nomine conterriti ac proſtrati cives, veniam, quam ſuppliciter ab irato petebant, ſat frigidè, & ſub aſpera increpatione reportant: turbarum verò capita, inter quos & Conſul erat, ſe fugâ ſubducunt, ex eáque licet citati, non ſunt reverſi, præeligentes ſuis exui fortunis, quàm ſua capita rigoribus Soëterianis inflectere. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 3. pag. 368.*

Flagella, quibus hactenus cædebatur Noſtra, ipſam vel magis providam, vel melius moratam volebant; at quæ nunc Gallicâ ei manu contorta & inflicta perpendimus, nonniſi illius perniciem, ruinam, & excidia ſpirant: anno ſiquidem 1688. circa Calendas Novembres Marchio de Bouffleurs, multo eam milite cingit, mœnia juxta caſtrum eminentia diſcutit, incurſum dein Moſellam vadando decernit; at verò ùt hunc ob ſubitum Moſellæ tumorem, nec non ob valida à Comite de Lippe civibus allata præſidia, periculis obnoxium videt, mutato conſilio, in Dei æque ac civium ædes pilis pyrotechnicis ſævit, magnámque Noſtræ partem crudelibus flammis abſumit; poſt quæ inglorius abiens, ſicut ſecum ſat multos mutilos ac vulneratos abduxit, ita non pauciores poſt ſe cæſos ac inhumatos reliquit. Tormentarius, qui turrim, bovina nuncupatam, tenebat, magnam ſtragem

obſidentibus intuliſſe compertus, multum inde applausûs cum præmiis competentibus tulit: Auguſtinus Philippus quoque Comes de Lippe, Landgravii Haſſiæ Vicarius bellicus, multa de ſe militaris peritiæ, & generoſi pectoris egregia ſpecimina dedit; is námque, ùt Confluentiam Gallico Marte petitam, & militis Trevirenſis Præfectum glande plumbeâ ſauciatum ac decumbentem inaudiit, ſuâ mox ſponte, ac perquam opportunè accurrit, copias inſtruxit, ſtationes diſpoſuit, gallica molimina fregit, urbémque Electori ſervavit; unde & ab ipſo tria quotannis plauſtra vini, quoad vixit, ob res benè geſtas recepit.

Hæc à Gallis ſuſcitata tempeſtas prout ſupra modum horribilis & ſæva, ita & noviſſima Confluentibus fuit, ſi panicum timorem excipias, quo ad annum 1734. præfeſtinè turbati, animóque puſilli mœrebant, prout retulimus ſupra ad calcem Capitis XIII. hujus námque quoſdam intrà dies in placidum deſinentibus motibus, iſtius quoque ſuperatâ repreſsâque ſævitiâ ad portum tranquillitatis appulſi, in eo uſque ad 1753. annum, quo hæc ſcribimus, ſalvi ſecuríque ſubſiſtunt, quin & adhuc ſubſiſtere gaudent, quæ Browerus in Annal. Trevir. *lib. 21. num. 132.* ante ſeſqui ſæculum retulit. *Oppidum Confluentinum cùm hominum copiis, tum ipsâ naturâ & loco, duobus ſuccinctum fluminibus, quod ad contrahenda cum accolis Rheni commercia opportunitates habet multas, ſat magnas pace longâ divitias & opes congeſſit.* Cætera,

quæ his ibidem ſubnexa leguntur, minimè à nobis probantur, ceu qui concitatos contra Joannem de Petra motus non in Noſtræ divitias & opes, nec in enatam inde ſuperbiam, ſed in graſſantes tunc hæreſes veriſimilius refundendos cenſemus. *Vid. cap. 6.*

CAPUT XXVIII.

De Confluentia parva.

E Regione Confluentiæ ponè pontem, qui bina littora Moſellana conjungit, noſtris adhuc temporibus viſebatur Vicus, cujus incolæ tum caupones, tum vinitores & agricolas, ùt plurimùm autem piſcatores agebant: & quia Noſtræ veluti ſuburbium, ac municipium erat, ſuum quoque nomen ab eadem deſumpſit, in lingua vernacula Lützel / Lützer / item Litzer-Coblentz / latinè verò parva ſeu minor Confluentia dictus; quod enim dictæ voculæ Lützel & Lützer priſcis Teutonibus idem, quod parvum ſeu minus, innuerint, liquet tum ex Wachteri Gloſſario Germanico, tum ex Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 296.* ceu in qua legitur, quod caſtrum Litzelſtein à Gallis *petite pierre*, id eſt, lapis parvus, ſeu parva petra vocetur;

item quod Lützelburg idem ſit, ac parvum caſtellum. Sic & in Helvetia prope Frauenfeldiam, ùt Hübner in Lexico Reali Politico refert, fluunt duo rivi, quorum minor Litzelmurgk/ major ſine addito Murgk appellatur.

Quamvis autem de anno, qui Vico huic initia cum nomine dedit, non conſtet; certum tamen eſt, quod uſque ad poſitionem lapidei pontis plura ibi ſæcula ordinarium trajectum conſpexerint, quódque fluentibus hiſce ſæculis fuerint ibi domus erectæ, quatenus & noſtri & exteri, nocturno, pluvio, vel brumali tempore hùnc ad trajectum appulſi, tectum receptúmque haberent, adeoque hic Vicus præ Vicis circumvicinis ad tempora diſtantiſſima meritò depoſcat reponi. Browerus jamdum ad annum 1070. ejus meminit, dum *lib. 12. num. 17.* dicit, quod Cuno Miles, & Civis Confluentinus tres ſuas vineas, trans Moſellam in agro Minoris Confluentiæ ſitas, Eccleſiæ Florinenſi donârit. Et quia Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 730.* refert; quod à Theodorico Wedano ad annum 1241. Nonis Junii emanârint ibidem literæ, quibus feudum maſculinum ad ſexum fœmininum extendebatur, non obſcurè colligitur, Archi-Epiſcopis noſtris in Confluentiæ minoris agro villam aliquando, vel umbraculum hortenſe fuiſſe, quod dein Comitis Virnenburgici rancor & furor, ùt mox dicemus, in favillas cineréſque redegit.

In limine ſæculi decimi quinti, dum ad Electorale Collegium multiplex querela ferebat, quod

quod vina, aliæque permultæ merces, nec adverſo, nec ſecundo Rheno, ceu ordinariâ viâ, ſed per tractum Hunnorum, aliáque per avia, cum non levi Rhenenſium Electorum diſpendio frequentius deveherentur, ſancitum fuit in Baccharacenſi conventu; certis in locis, & ſignanter in *Parva Confluentia*, obſervatores ponendos, per quos vectigal, quod in teloniis Rhenenſibus pendendum fuiſſet, exigeretur ab iis, qui ſuas merces bigis vel quadrigis per inſolitas vias provehere continuarent. Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 2. pag. 350.*

Sub annum 1434. extrema pene calamitas afflixit, exagitavit, & oppreſſit Trevirorum gentem, exin oborta, quod Summus Pontifex Rabanum ab Helmſtatt, Nemetum Præſulem; Metropolitani verò Canonici primò Jacobum à Sirck, dein Udalricum à Manderſcheid Archi-Epiſcopos renuntiârint: & quia Comes à Virnenburg nullis non ſtudiis ſoli Udalrico litabat, Rabanum autem, ejúſque fautores ubivis inſectari pergebat; hinc & in Confluentibus finitimum agrum (: hi námque pro Rabano, & à partibus Pontificiis ſtabant:) animo infeſtiſſimo, ùt Browerus in Annal. *lib. 19. num. 45.* refert, prædis agendis, villíſque cremandis incubuit: cum quibus ejus quoque furor Confluentiam parvam ad annum 1436. 20. die menſis Octobris corripuit, ac in Rabani, apud Confluentes tunc demorantis, conſpectu invaſit, expilavit, exuſſit. Geſta Trevir. Marten. *pag. 449. Videantur quoque dicta de generali interdicto, cap. 2.*

His autem ex cineribus ùt per tria pene ſæcula ſpecioſior quaſi phœnix ſurrexerat, ad funeſtum rurſus rogum pertrahitur, dum ad annum 1688. advolantes Galli, ut Confluentiam caperent, nidum ſibi in ejuſdem campis conſtituunt; quatenus enim hi ab extantibus ibi domibus nil tutaminis, nil progreſsûs reciperent, miles noſter eas omnes diſploſis tormentis bellicis, ignibúſque injectis vaſtavit: quo dein à tempore aſſimilata eſt Trojanis arcibus, de quibus Poeta cecinit: *Ubi ſtetêre Pergama, jam fluctuant ariſtæ.* Interim verò corruptio hujus, ſi non generatio, accretio ſaltem fuit alterius vici, qui priùs fortaſſis anonymos, ab incrementis nuperis novus nunc vicus, vulgò **Neüendorff** / audit.

CAPUT XXIX.

De Arce Ehrenbreitſteiniana.

MUnimentum hoc, dum jam Hermanni, jam Ehrenberti ſaxum apud Veteres audiiſſe refertur, poſteris ſuſpicionem indit, quaſi incomperto cuipiam Hermanno, vel Ehrenberto ſua incunabula, ſeu fundamenta deberet: verùm cùm nec de hoc, nec de iſto Hiſtoria Trevirenſis Diplomatica quid prodat, ſed & cum de

utroque ſileant Broweriani Annales, tutius dicitur, incognitum obſcurúmque manere, quæ manus, quódve tempus primam hìc loci domum, primúmque munimentum poſuerit. unde & modernum nomen, quo gaudet, nimirum Ehrenbreitſtein, non ab Ehrenberto, veluti conditore ſuo, prout putat Hübnerus in Lexico Reali Politico, ſed indè ei inditum dicimus, quod ſitus in hoc jugo à natura formatus, nec non propugnacula ſucceſſivè in eodem erecta, perampli ſint nominis, multæ præſtantiæ, maximæque conſiderationis; hæc quippè teutonica & compoſita vocula Ehrenbreit vult rem ſeu perſonam innuere, quæ laudis ac honoris multitudine, ſeu amplitudine pollet: hujus autem nominis non jam umbram, ſed veritatem hac à rupe gloriosè portari, vel exindè pateſcit; quod & à fronte, & à tergo, & à lateribus ſe inſinuans hoſtis eminus ex ipſa proſpici, fortiter impeti, & faciliter poſſit repelli, adeóque fas ſit cum Browero dicere: *Arce hâc nihil hiſce locis extat uſquam, aut ad vim prohibendam tutius, aut ad fortunas etiam, capútque propugnandum ſecurius. Annal. Trevir. lib. 14. num. 144.*

Porrò quod à plurimis retro ſæculis hac in petra caſtellum ſive munimentum quoddam exiterit, quódque in eo noſtri Principes ſuam ſæpe ſedem delegerint, conſtat ex iis, quæ ad annum 1166. in Annalibus Browerianis ſic annotata leguntur. Hillinus anno 1152. ad Pontificatum aſſumptus, *Arcem Ehrenbreitſteinianam apud Confluentes operum magnitudine in primis*

nobilem, & ab Archi-Epiſcopis Trevirorum longe ante ipſum tempore jam olim habitatam, & tunc denique vetuſtate laborantem, à deceſſoribus inſtaurari cœptam, firmâ extructâ turri, & ampliatis ædificiis, inſigniter ornavit; tum, quod inprimis neceſſarium, ciſternam vallémque in ipſa rupe duriſſima, altitudine indicibili exſcindere aggreſſus, opus tandem immenſo labore, nec vulgaribus expenſis ad exitum perduxit. Ubi Lector advertat; quod, cum Browerus montem hunc jam olim, & longè ante Hillini tempora ab Epiſcopis noſtris inhabitatum affirmet, videatur credibile, SS. Magnericum & Gregorium Turonenſem, ſub annum 585. trajicientes Rhenum, in eodem dein monte diverſatos fuiſſe. *Videantur dicta cap. 23. pag. 131.*

Arnoldus Iſenburgicus ſuum Clerum inſolitis oneribus gravans, pia quoque legata, & Synodi decreta debitam extra curam reponens, indéque inacceptum & odioſum ſe reddens, vix non continuò hoc in monte reſidere, lateréque ſolebat, prout indicant paræneticæ literæ, anno 1256. ad ipſum à Clero ſub hoc epilogo datæ. *Has monitiones publicè in Eccleſiâ Trevirenſi facimus, quia metu legitimo nuntios idoneos ad vos apud Caſtrum Eccleſia Ehrenbreitſtein, quod quaſi pro domicilio inhabitatis, tranſmittere non audemus.* Hiſtoria Trevir. Diplom. *to. 1. pag. 738.*

Sed & Succeſſores Arnoldi, non attentâ commoditate ac firmitate caſtri, intra Confluentiam per Henricum Vinſtingium magnificè poſiti, hac crebrius in rupe tum ob puritatem &

ſalubritatem aëris, tum ob amœnitatem proſpectûs conſueviſſe morari, colligitur tum ex literis Joannis Badenſis, ibidem ad annum 1462. datis, atque relatis in mox cit. Hiſt. *to.* 2. *pag.* 444. tum & ex iis, quæ diximus cap. 4. de Joanne Ludovico ab Hagen.

Mox dictus Badenſis pro eadem arce aquam vivam, quæ illi huc uſque deceſſerat, ab anno 1481. uſque ad annum 1483. laboribus, ſumptibúſque immenſis inquirens, poſt petras ducentis & octoginta pedibus in profundum perfoſſas, eam tandem largirer promanantem invenit; demúmque totum fontis ac ſuperpoſitæ turris opus ad annum 1484. ſub exeuntem Septembrem complevit. Browerus *lib.* 19. *num.* 161.

Sicut autem Providentia Joannis Badenſis ad quotidianos hominum uſus, nec non ad varios bellorum caſus neceſſarias aquas ex viſceribus hujus petræ prolicuit, ita ſuccedentium Electorum labor & cura aliis & aliis eam modis, molibus, ac propugnaculis percoluit, ampliavit, armavit: Joannes à Petra egregio & anguloſo eam vallo communiit. Browerus *lib.* 21. *num.* 133. Joannes à Schonenberg ingenti operâ in ea foſſam excidit. *Id. lib.* 22. *num* 71. Lotharius à Metternich novum ei vallum adjecit. *Id. lib.* 23. *num.* 14. Carolus Caſparus à Petra curribus permeabilem, commodámque in ea viam aperuit, & ab imo uſque ad ſummum obliquo tractu perdúxit; ædificia nova, & præmunitiones antemurales erexit: vicinam Helffenſteinianam rupem,

ne aggreſſoribus in opem ac commodum, & incolis in præjudicium ſeu perniciem vergeret, partim dejecit, partim in propugnaculi formam redegit. *Maſenius in Præfat. ad primam partem Annal. Trevir.* Joannis Hugonis operâ rotunda illa, & præcelſa turris, quæ in montis declivio, quod Moſellam reſpicit, eminere conſpicitur, tam ad civitatis ac palatii, quàm ad arcis munimen & ornatum ſurrexit. Franciſcus Ludovicus Neoburgicus vineis Orientem verſus exciſis, amotâque, cui inſederant, terrâ, rupem inaſcenſam nudavit, propugnaculo quoque, foſsâque protexit. Franciſcus Georgius Schônbornius tot denique, támque inſignibus hanc arcem munimentis juxta modernam architectoniam militarem inſtruxit, ut, teſte Hiſtoriâ Trevir. Diplom. *to. 3. pag. 210.* pro loco principe cum primariis fortalitiis certet: quibus adde, quod & interior Redemptoris noſtri ſacratiſſima Tunica, quæ hìc à multis retro temporibus in loco camerato ſervatur, ſit quaſi murus validus, à quo & Arx & Patria præcipuum ſibi robur, præſidium, & tutamen in tempore neceſſitatis promittunt.

Nobilem hanc Rhenanæ Moſellanæque fortitudinis ſedem mox dicti Principes aptabant, ſacrabant, favebántque ſemper tum ſibi, tum & Cæſari, Romanóque Imperio; at Philippus Chriſtophorus de Soëteren, à genio eorundem abludens, eam anno 1632. die quintâ Junii in Gallorum proh! nidum convertit, dum avocato milite patrio, omne ejus præſidium fidei Galli-

canæ commiſit; ſub qua & luxit uſque ad annum 1637. quo Joannes Werdius, exercitûs Cæſarei Ductor, fame ferróque Francicam pertinaciam frangens, amiſſam hanc drachmam Imperii theſauris reſtituit, Cæſare dein in providis mandatis dante, ne illius poſſeſſio ſive cuſtodia rurſus Philippo Chriſtophoro, utpote Gallicis incantamentis corrupto & illigato, ſed ut Agrippinenſium Præſuli eouſque continuanda tradatur, donec ab Imperii Statibus, an ipſi Philippo Chriſtophoro, vel Succeſſori ejus ſit reſtituenda, fuerit decretum: quo decreto ad annum 1650. condito, miles Cæſareus inde migrans, loci præſidium Treverico Præſuli ejuſdémque militiæ ceſſit.

Splendor Soëteriani nominis, quem Philippus Chriſtophorus modis mox dictis obſcuraverat in vertice Ehrenbreitſteiniani montis, in ejuſdem pede ſalvus, integérque permanſit; ceu in quo is ad annum 1628. operoſiſſimè rupem exſcindens, Palatium ibi, ſive Caſtrum, quod ſibi ſuíſque Succeſſoribus ſedem, tutamen autem Rheno, & oſtio Moſellano præberet, magnificè, prout adhucdum cernimus, à fundamentis extulerat. Splendidas & cameratas ædes, quæ nunc Palatii hujus atrium ornant, Franciſcus Georgius eo fine fecit aſſurgere, ut & ærarii & regiminis Electoralis negotia commodiùs in iiſdem agi, ac utriuſque Dicaſterii chartæ ſecuriùs aſſervari valerent.

Hìc quoque bina Caſtella, quæ ruri Electoribus ſerviunt, veniunt commemoranda, ſunt-

que Cârlichium, ac Deliciæ Schônbornianæ: de iſto hæc refert Browerus *lib. 19. num. 162. Arcem Kerlichiam loco amœno, venationi aucupióque vehementer opportuno inchoatam, Joannes Badenſis à ſolo percoluit, & ad faſtigium eduxit*: quibus nos addimus, quod Franciſcus Georgius pluribus eam, iiſque magnificis commodíſque ædificiis ampliorem ſplendidiorémque reddiderit; quódque & diebus his in Campi Mariani ſylvula, quæ nuper cum appertinente prædio à Comitibus de Metternich ad Archi-Epiſcopalia jura permutationis viâ tranſierat, alteróque lapide à Confluentibus diſtat, Caſtrum prorſus nobile, quod Delicias Schônbornianas nuncupari voluit, à fundamentis erexit, inſimúlque ſylvulæ, ambulacris in eadem exciſis, complementum amœnitatis indiderit.

CAPUT XXX.

De Valle Ehrenbreitſteiniana.

HÆc à Priſcis ob extantia ibi molendina Vallis molaris, teutonicè Mühlenthal / ſive, ut in Luca Waddingo legitur, Mühlheim: à Philippo autem Chriſtophoro, conditore Electoralis Palatii, Philippica dicta; diebus demum

noſtris nonniſi Ehrenbreitſteiniana à Monte & ab Arce, quibus ſubſtat, vocatur. Filia olim erat Eccleſiæ Parochialis in Niedernberg; ab anno autem 1711. quo Joannis Hugonis religio in adjacente monticulo novam Ædem honori S. Crucis extruxit, hanc quoque Vallenſibus Parochialem cum proprio Curione conſtituit: decentia quippe, & æquitas poſcebant, ut, quæ incolarum frequentiâ, ædiúmque tam numero, quàm ſplendore induerat oppidum, à viculo nil dependentiæ, nil amplius ſubjectionis haberet. Curionem illi jam Archi-Epiſcopus, jam Abbas ad S. Mathiam prope Trevirim ex mutua conventione præficiunt; & Abbas quidem ob jus, quod in Eccleſiam Niedernbergenſem, Vallenſium olim matricem, à centenis retro annis poſſederat, ac poſſidet uſque in hodiernum diem.

Sacras tertii Ordinis S. Franciſci Virgines clauſtralem hìc vitam aliquamdiu duxiſſe, conſtat ex Annalibus Lucæ Waddingi: quas Joannes Badenſis ab hinc non in Inſulam inferiorem, ùt ait Browerus *lib. 19. num. 183.* ſed, ùt rectiùs tradit Waddingus, in Montem Beſſulanum, vulgò Beßlich (*: Browerus lib. 19. num. 58. & 59. hoc de Monte plura notabilia refert:*) anno 1496. transferri, in earúmque locum Eremitas S. Auguſtini fecit ſubſtitui; quatenus, ſicut duorum Ordinum Alumni, Prædicatores nimirum ac Minores, Confluentibus aderant in adjutorium Cleri, ſic una ſaltem religioſa familia decedentes hìc ſacros operarios apoſtolicâ

manu ſuppleret; quâ & ipſos uſque ad tempora, in quibus devians Lutherus ſuas hæreſes per Germaniam ſparſit, fideliter laboraſſe ſupponimus; funeſtiſſimo quippe hoc fato hic Conventus, in quo Lutherum aliquando habitaſſe, refertur, *vitium quoque traxit, obtritâ iſtic loci, & à Monachis deſertâ religione*, prout inquit Browerus lib. cit.

Philippus Chriſtophorus eo, quo Badenſis, excitus paſtorali zelo, dum agrum Dominicum hac in Valle ſat amplum, multámque in eo meſſem, operariis autem vix non viduatum conſiderat, anno 1627. Franciſcani Inſtituti cultores, qui Capucini dicuntur, huc vocat, Cœnobio donat, & apoſtolicis facultatibus munit: Carolus Caſparus verò gentem magis ac magis in dies accreſcentem conſiderans, in ipſos paſtoralem ejus curam cum neceſſaria juriſdictione devolvit; quâ uſque ad annum 1711. quo Eccleſia S. Crucis ceu Parochialis ſurgebat, annis nimirum quatuor ſupra quinquaginta ad Dominica emolumenta perfuncti, nunc Deo & Vallenſibus ſervire ſatagunt eâ vitæ methodo, quam Theologi myſtici mixtam ſive activam & contemplativam appellant.

Porrò ſicut hæc Vallis tum religionis Catholicæ, tum & rei civicæ florem & incrementa, quibus inſigniter pollet, providentiæ noſtrorum Principum, nec non delectæ, & ſtabilitæ hìc eorundem reſidentiæ debet; ita, quod aliquando ſub cineribus ruiniſque gemuerit, in Francicam hoſtilitatem refundit; cùm enim Philippus

Chriſtophorus ad Imperii Romani luctum Ehrenbreitſteinianam arcem Gallicæ poteſtati, ut diximus ſupra, ceſſiſſet, atque ad repetendam illam Cæſaris appropinquaret exercitus, furiæ Gallicæ ad annum 1637. alterâ die Julii in ſubſitam hanc Vallem ruentes, totam quantam unà cum Capucinorum Eccleſia & Cœnobio in fumos favilláſque verterunt. Capucinica damna Caroli Caſpari munifica manus reſarciit iis modis, quos Conventûs & Eccleſiæ facies hâc noſtrâ ætate præ ſe fert.

Viri inſignes, quos Vallis hæc familiis regularibus à noſtra memoria dedit, ſunt Nicolaus Mazenbach Abbas Arnſteinenſis. Adolphus Dahm Abbas Seynenſis. Joannes Altenar Minorum Capucinorum in Provincia Rhenana quartâ vice zeloſiſſimus Miniſter Provincialis; cui eadem Provincia hæc concinnavit elogia.

F. Petrus Confluentino-Vallenſis omen cum nomine geſſit, utpote ſuper quo velùt Petra Rhenana Provincia, multo tempore bellis & ærumnis concuſſa, ſolidari tandem, novúmque quaſi florem emittere cœpit. A piis parentibus originem morúmque innocentiam trahens, decimo quinto ætatis anno ad tyrocinium Religionis admittitur. Abſolutis ſtudiis ad aram & cathedram eodem greſſu conſcendens, primariis dein officiis crebriùs, ac præclariſſimè functus, renuntiatur Provincialis Miniſter, eóque in gradu poſitus, Apoſtolo morem gerens, ſemper & in omnibus ſeipſum præbere ſtuduit exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, dignus, qui ubique

audiit Lucerna lucens & ardens. Ab officiis divinis, à consuetudinibus piis, à refectione communi, à proluendis scutellis, ab aliis consuetudinibus Ordinis nulla ipsum, nisi urgentissima negotia, & agrè quidem notabantur retrahere. Infirmos visitabat, solabatur quotidie. Sermo ejus tam in via, quàm domi comis erat simul ac gravis, nunc de Deo, nunc de rebus Ordinis, nunc de sacris & mirabilibus in Italia visis, profana & vaniloquia non modò devitans, sed & congruâ censurâ perstringens. Dies latitiæ, quos nostris jejuniis discreta consuetudo præmittit, tunc verè lætos putabat, quando sacris canticis brevis fiebat vel cœna vel hora: & quia de hoc ejus gustu passim constabat Provinciæ, hinc non paucorum studium erat, Ministrum suum cantionibus piis divertere; quibus ipse non avidas tantùm aures ac placidum dabat aspectum, sed & quandoque vocem tenerâ devotione jungebat. Cœnam alteram, quam ultimo recreationis die post decimam serotinam petebat quidam abusus, negavit ac proscripsit primus. Silentium, quod in esurialibus feriis factâ collatione servamus, ipse quoque indixit primus. Solemnior ac olim non solitus cultus, quo nunc ad decimam septimam Septembris publicamus Stigmata Seraphici Patris sua ab eo initia cum profectibus habet. Reliquum Petri zelum, quo confirmavit infirma, consolidavit disrupta, depravata convertit, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendit, ex ordinatis ejus, quæ in singulis Conventibus prostant, sera posteritas novit, facileque concludit, quod zelatus sit Sion zelo magno, &

quidem præ quovis alio ad paupertatis, ac ad regularis observantiæ discretissimam normam. Ut in desertam Francofurtensem S. Antonii Abbatis Ecclesiam pristinus Dei cultus, ac ut in regularem ejus domum, quæ transierat in Secularium usus, Capucina olim expulsa restitueretur familia, mirum est, quos exantlârit labores, quas devorârit molestias; dum enim nunc Principes & potentes hujus sæculi, nunc filios Matris suæ contra se bellantes ac adversarios vidit, imitatus Prophetam, stitit se civitatem munitam, & columnam ferream, & murum aneum, prout ejus docta, solida, & multa in Provinciæ Archivo asservata Scripta testantur, atque prolixiùs in Annalibus Provinciæ lib. 4to. & 5to. refertur. Provinciæ Ministerio functus, annuásque ferias aliquoties nactus, semper nonnisi in cella vel in sacro tribunali, vel cum Magdalena considens ad pedes JESU, visus est quæsisse, ac captásse quietem, mirante familiâ, quod neglecto quasi corpore, solum ubique spiritum præ oculis, ac in curis haberet. Gratia, quâ Pœnitentiæ ministerium obibat, prorsus raris, ac specialibus ei inerat modis, ipsâque pœnitentes innumeros, præsertim Mogonos, non modò ad suum forum, sed & plurimos horum ad studia sanctiora perduxit. Sicut autem hoc in foro dexterrimus ac frequens, ita nec ullâ molestiâ fractus, aurem indefessam præbuit omnibus, non rarò, dum major erat vel confluxus vel fructus, cubitum incœnatus concedens. Visitans familias, ùt primùm pœnitentes multos, ac operarios paucos advertit, ocyus ad horum se opem accingere, dein solicitis verbis

optimos quoſvis muneris hujus gerendi modos ad viſitationis calcem præſcribere, ac commendare ſolebat. Dum itaque commoda atque utilitates commiſſi ſibi populi, aliorúmque fidelium attentiſſimè curat, ad gloriam à Domino tanquam diſpenſator fidelis, & villicus utilis aſthmate pulſante vocatur; quod ùt ingraveſcere ſenſit, Evangelii S. Joannis 14tum, duóque ſequentia capita ſibi prælegi, ſolitis dein Sacramentis muniri ſe voluit, ac tandem ad primas Veſperas S. Antonii Abbatis, pro cujus honore, domo, & Eccleſia multis annis certârat, vitæ veſperum Moguntiæ clauſit, ac intrà Eccleſiam ante aram S. Antonii Paduani juxta ſuum confeſſionale ſub profuſo præſentium ſæcularium fletu conditus terræ, tectus eſt lapide, hâc inſcriptione ſignato. „ A. Reverendus P. Petrus Confluentinus PP. Capucinorum hujus „ Provinciæ Concionator, Lector, Guardianus, „ Diffinitor, Cuſtos, & 4tâ vice Provincialis, „ diſciplinæ regularis, ac ſalutis proximi zeloſiſſimus, Religionis Jubilarius, defunctus Anno „ 1720. 16. Januarii, hic quieſcit, ubi multorum millium confeſſiones excepit. Requieſcat in pace. Ità Provincia Rhenana lib. 3tio. cap. 1. pag. 97. & 98.

Nicolaus Altenar, mox prædicati junior ac germanus frater, inter Minores Capucinos ſub nomine Juſtini ſemel & iterum Theologiæ Lector, vir maturus, diſcretus, & cum primis in ſcientia Sanctorum verſatus, quam & junioribus, ſuæ curæ commiſſis, mirâ ſuavitate, copiosâ facundiâ, multáque energiâ explanare, ac

inſtillare didicerat. Sibi rigidus, plures per annos ferreo acutóque cingulo ſuos lumbos incinxit. Sacramenti Pœnitentiæ inſignis ac peritus miniſter, ad tribunal ſuum plurimos, Mogonos præſertim, attraxit; in quorum etiam gratiam libellum edidit, eas complectentem doctrinas, quas in aurem confidentius dare ſolebat. Primaria Provinciæ munera ſuo cum germano alternativè portâſſet, ſi melior ei valetudo fuiſſet. In ætate optima prolixo morbo confectus deceſſit Moguntiæ Anno 1703. *Vid. Hiſt. Diplom. Trevir. to. 3. pag. 234.*

Caſparus Heimes, cum Capucinâ veſte Iſidori nomen adeptus, in Apoſtolicis deinceps Miſſionibus annoſum non modò paſtorem, ſed &, ne juventus ſua periclitaretur in acatholica ſchola, Ludimagiſtrum in annum tertium egit. In Conventibus ſilentii, pacis, collectíque ſpiritus religioſiſſimus cuſtos; ad ſacras vigilias, præſertim antelucanas, vix ab ullo fuit unquam præventus: in ſacro tribunali fidelis ac indefeſſus miniſter, Ordinem, quem tertium, ſeu de Pœnitentia dicimus, zelosè ac fructuosè promovit. In extrema, eáque nonniſi triduanâ ægritudine avidiſſimè ad remedia ſacra ſuſpirans, eorúmque compos effectus in ſenectute bona placidè obdormiit Bingæ Anno 1757. *Provinc. Rhen. lib. 3. cap. 1. pag. 85.*

Cæterùm, quin præter mox dictos alii quoque hac ex Valle meritis eminentes prodierint, ac vel in civicis, aut in eccleſiaſticis curiis dignitatum quandoque gradus conſcenderint,

ambigere non licet; at verò, quia eos explorare, & hic nominatim adducere non licuit, manus tandem à manipulo noſtro retrahimus, eáſque attollentes in altum, enixè ac fideliter petimus, ut, quidquid in eo colligendo & colligando impenſum eſt operæ, ad ſuam gloriam aſſumere ac elevare dignetur, qui, ſicut principium, ita quoque omnium noſtrûm eſt unicus & ultimus.

FINIS.

ANACE-

ANACEPHALÆOSIS CHRONOLOGICA, *SIVE* INDEX

IN QUO MEMORATARUM Confluentinarum rerum ſeries de anno in annum breviùs conſpicienda proponitur.

Anno circiter 55. *ante Chriſtum natum.*

TRevirorum Auguſtâ, Præſidi Romano ſubjectâ, Confluentes quoque incipiunt Romanorum juſſa capeſſere. *pag.* 27.

Anno circiter 11. *ante Chriſtum natum.*

Apud eos à Druſo Caſtellum invaſionibus Germanorum opponitur. *pag.* 14.

Anno poſt Chriſtum natum circiter 100.

S. Maternus Chriſtianam hìc legem primus

Anno
annuntiat. *pag. 19.* Ubi tamen quoad hoc affertur duplex Sctiptorum opinio.

260. Alemanni ſuperato Rheno, profligant Romanos, & Confluentiam ſui juris efficiunt. *pag. 27.*

262. Rerum denuo potiuntur Romani; atque cum locis, quæ nuper amiſerant, Confluentiam quoque recuperant. *pag. 27.*

337. S. Caſtor ſuſcitat D. Materni ſemina, alterúmque hic Apoſtolum agit. *pag. 20. 131.*

458. Alemanni ſeu Franci victricibus iterum armis Confluentiam Romanis eripiunt. *pag. 27.*

509. Francorum Regibus per Clodoveum Magnum deletis, Confluentia cum aliis eorundem Francorum locis ad Gallica jura pertrahitur. *pag, 28.*

512. Galliæ Regno in Neuſtriam & Auſtraſiam per filios Clodovei diviſo, Confluentes Auſtraſiæ Regi ſubduntur. *Ibidem.*

585. Childebertus Auſtraſiæ Rex ſuo hìc in Palatio reſidens, à S. Magnerico Trevirenſium, & à S. Gregorio Turonenſium Epiſcopis inviſitur, ac in favores Epiſcopi ab Eccleſia ſua pulſi rogatur. *pag. 129. 131. 180.*

600. Sub hujus ſæculi curſu noſtris Regibus in eorum hìc Palatio reſidere vix licuit; eò quod crebrioribus bellis, ac infelicitatibus aliis fuerint in diverſa jactati. Prout Browerus in Annalibus refert.

721. Theodoricus III. primo regni ſui anno condit hìc tabulas, quibus Cœnobio Sithivenſi priſtina confirmatur immunitas. *pag. 129.*

Anno

Ludovicus Pius ad tempus hìc reſidens, ſuas ab hinc curas in ſubdita ſibi regna diffundit. *pag. 125.* 823

Baſilica S. Caſtoris ab Archi-Præſule Hetti ſacris ritibus initiata, per ipſum quoque hujus ſancti Corpore, per Imperatorem verò muneribus opulentis ditatur. *pag. 76. 98. 125.* 836

Lotharius I. Ludovicus Germanicus, & Carolus Calvus, filii ac hæredes Ludovici Pii, hìc in unum ad paterna regna inter ſe dividenda conveniunt. *pag. 112. 113. 125. 129.* 842

Iidem Reges in Eccleſia S. Caſtoris coram undecim Epiſcopis iciunt nova fœdera, editíſque decretis perſequuntur temeritates prædonum, Clericalem verò ſtatum tuentur. *pag. 113. 129.* 860

Carolus Galliæ, & Ludovicus Germaniæ Reges partiuntur inter ſe Auſtraſiæ Regnum: & quia partitio hæc terras Rheno viciniores Ludovico Germanico favit, Confluentia quoque cœpit & ipſi & ſubſequis Germaniæ Regibus obtemperare. *pag. 28.* 870

Eccleſia, cui nonniſi titulus à Deipara Virgine hucuſque fuerat, nunc quoque titulum & patrocinium S. Florini Confeſſoris aſſumit. *pag. 73.* 900

Carolus Galliæ, & Henricus I. Germaniæ Reges cum ſeptem Epiſcopis hìc Synodum agunt, in eáque contra ſimoniacam pravitatem, ſuper matrimonio non contrahendo in gradibus ab Eccleſia vetitis, ac ſuper obedientia, quam Mo- 922

Anno
nachi debent Epiſcopis, neceſſaria quæque præſcribunt. *pag. 114. 115.*

936. Germaniæ Regibus ad Imperii Romani thronum in Ottone Magno levatis, Confluentia Sacramentum deinceps Romanis Imperatoribus dicit. *pag. 28.*

948. B. Mathildis, Ottonis Magni religioſiſſima mater, Eccleſiam S. Florini locupletiſſimè dotat. *pag. 73.*

973. Caſtorenſes & Florinenſes Canonici ſub clericali hucuſque regula in communitate viventes, diebus his hac à vitæ forma recedunt, ac præbendas ſive reditus inter ſe diſpertiuntur. *pag. 72. 78.*

000. Sub id fere tempus B. Rizza, in Coveren ſanctè defuncta, ad Eccleſiam S. Caſtoris, prout petierat, tumulanda defertur. *pag. 99.*

012. Henricus II. in Præſulum Procerúmque hìc indicto conventu rebellia quædam capita conditis decretis humiliat atque compeſcit. *pag. 115.*

016. Idem Auguſtus, ut vacanti Trevericæ Sedi de Antiſtite digno proſpiceret, ſuis hìc curis plures per dies advigilat: indéque petens Trevirim, ad hanc ſpartam Poponi deferendam concurrit. *pag. 31. 126.*

017. Oſſa S. Beati ex Auguſta Trevirorum transferuntur ad montem, in quo nunc Carthuſia viſitur. *pag. 86.*

018. Confluentia ex dono Henrici Imp. II. in Eccleſiæ Trevirenſis jus & dominium tranſit: Poppo proin primus Præſulum Trevirenſium fuit, qui Confluentibus jura in politicis æque

ac in ecclesiasticis dixit. *pag. 29. 44. 48.* *Anno*

Telonium Confluentinum idem Præsul Ecclesiæ S. Simeonis, quæ apud Treviros est, liberaliter donat. *pag. 45.* 1042.

Everhardus alter Nostrorum in utroque foro Princeps hoc anno renuntiatus, rexit annis undeviginti. *pag. 31.* 1047.

Succedit Cuno Princeps tertius, qui Sede necdum conscensâ peremptus, eam cedit Udoni, in illa dein novem annos complenti. *pag. 31.* 1066.

Cuno Miles, à Confluentia dictus, ut Florinenses Canonicos ad reamplectendam pristinam regularem vitam alliceret, pluribus eos agris, vineis, ac possessionibus dotat. *pag. 141.* 1070.

Egilbertus diebus his electus Antistes, eo in munere viginti & tres annos consumit. *pag. 32.* 1078.

Cui suffectus Bruno, bis denis ac duobus annis gubernacula tenet. *ibidem.* 1102

Telonium Confluentinum tabulis novis Ecclesiæ S. Simeonis addicitur. *pag. 45.* 1104

Henricus IV. Imp., ùt & Ecclesiæ & Imperio inacceptus ac scandalosus evadit, extremis in angustiis ferias Adventuales hìc agit. *pag. 126.* 1105

Hospitale S. Nicolai Brunonis Archi-Episcopi religiosâ munificentiâ à fundamentis attollitur. *pag. 83.* 1110

Qui & Basilicam S. Florini, prout nunc est, assurgere fecit. *pag. 32. 73.* 1116

Godefridus Pontificatu potitus, lapsis duobus annis & mensibus decem, eùm spontè deponit. *pag. 32.* 1124.

Anno
127. Meginerus ſuccedens, annis duobus & menſibus fere quatuor præeſt. *pag. 33.*
129. Meginerum excipiens Albero, annis viginti & uno egregium Pontificem agit. *ibidem.*
139. Conradus III. in Principum huc conſcriptis Comitiis Imperator renuntiatur. *pag. 116.*
147. S. Bernardus hoc ſub tempus hìc diverſatus, claudi cujuſdam plantas miraculosè conſolidat. *pag. 132.*
150. Conradus III. pompâ regiâ Pentecoſten hìc agit. *pag. 127.*
152. Albero conventum hìc agens, diſſidia Nobilium & Dynaſtarum componit. *pag. 117.*
Hillinus Alberonem excipiens ſeptendecim annis principatum tenet, interímque ciſternâ, turri, nonnullíſque ædificiis Ehrenbreitſteinium auget. *pag. 33. 179.*
153. Publicum hìc certamen cum hæretico Berengarii ſectatore initur: in quo is errorem edoctus, amplectitur Catholicam fidem. *pag. 21.*
169. Arnoldus I. Eccleſiæ Trevirenſis Principatu potitus, in eo annos bis ſeptem inſumit. *pag. 33.*
179. Interímque aſſidet Concilio, quod Alexander III. Romam ad Eccleſiam Lateranenſem conſcripſerat. *ibidem.*
182. Componit quoque diſſidia, causâ telonii inter Collegium S. Simeonis, & Magiſtratum Confluentinum obortta. *pag. 45. 46. 81.*
185. Henricus, Comes Luxemburgicus, dum hujatem Clerum perſequitur, civem quoque noſtrum ſeditionibus ſcindit. *pag. 168.*

Anno

Joannes I. à Cæſare ad Archi-Epiſcopatum promotus, in eo viginti & duos annos laudabiliter agit. *pag. 34.* 1190.

Valeramus, Luxemburgicus Comes, Confluentiam injectis ignibus, populationibus verò vicinum agrum devaſtat. *pag. 168.* 1199.

Philippo Rom. Regi faventes Imperii Principes, iteratis hìc juramentis ſuam illi fidem contra Ottonem IV., itidem Rom. Regem, obſtringunt. *pag. 117.* 1205.

Principes Germaniæ, huc ad Comitia celebranda conſcripti, exauthorato Ottone IV. Fridericum II. Imperii moderatorem ſalutant. *pag. 118. 127.* 1211.

Theodoricus II. Archi-Præſul creatus, annos ter denos in regimine complet. *pag. 34.* 1212.

Albertus Miles, à Confluentia dictus, ut Theodorico ſuo Principi vitam ſervaret, ſuam libens amittit. *pag. 141.*

Equites Teutonici, paucis abhinc annis hìc appulſi, ſtabili nunc ſede, Theodorico curante, donantur. *pag. 84.* 1217.

Hoſpitale pauperum transfertur in vicum, qui nuncupatur Lôhra. *pag. 84.*

Juriſdictio, quâ Advocatus ſeu Præfectus Imperialis apud noſtros pollebat, exſpirat. *pag. 29. 30. 127.* 1220.

Ordo Ciſtercienſis ſacro patthenone Confluentiam auget. *pag. 95.*

Intra quam Dominicana quoque familia loci compos efficitur. *pag. 92.* 1231.

1110 Sed & Ordo Seraphicus ſuos hunc in agrum
33. operarios mittit. *pag. 93.*
42. Arnoldus II. ad Archi-Paſtoratum vocatus, eum annis ſedecim tenet. *pag. 34.*
44. Qui & Confluentiam primis mœnibus ſepit. *pag. 106.*
65. Confluentini ſupplicant Papæ, vellet, nomen B. Rizzæ in Eccleſiaſticos faſtos referre. *pag. 99.*
66. Henricus II. à Papa ad Cathedram Archi-Epiſcopalem levatus, in ea annis viginti quinque ac quinque menſibus ſedet. *pag. 34.*
76. Sanctimonialibus, à S. Catharina dictis, ex legato pio opportuna hìc domus obtingit. *pag. 95.*
80. Caſtrum, ab Henrico hìc erigi cœptum, fomitem rebellioni miniſtrat: quam is milite adducto compeſcit. *pag. 52. 53.*
81. Diſſidium Henricum inter & cives inde enatum, per arbitros, ab utriſque nominatos ac acceptatos, componitur. *pag. 53. 169.*
83. Dúmque rebellionis capita noviter aſſurgere, ac Principem infeſtare produntur, potior Civitas omnem iis nervum opponit. *pag. 54. 102.*
86. Boëmundus I. ſalutatus Antiſtes, annis decem & quatuor Paſtorales curas continuat. *pag. 35.*
100. Dieterus per Papam Archi-Epiſcopatu proviſus, octavum in eo annum plurimis inacceptus attingit. *ibidem.*
104. Noſtri nimiis gravati tributis, excutiunt Dieteri jugum; quos is adductis militaribus copiis parere ac acquieſcere cogit. *pag. 55. 169.*

Balduinus poſtulante Metropolitano Capitulo Eccleſiæ Trevirenſi Præfectus, eam ultra quadraginta & ſeptem annos multâ laude gubernat. *pag. 35.* An 130

Henricus VII. Imp. in comitatu regio Confluentiam veniens, jus conſtituendi ibidem telonii eidem Balduino impertit. *pag. 127.* 130

Cui & Ludovicus IV. Imp. facultatem concedit, in eodem telonio ſupra ſolitum exigendi quatuor groſſos. *pag. 47.* 131

Archi-Diœceſi in ſuperiorem & inferiorem partitâ, præter Curiam Eccleſiaſticam, quæ Treviris erat, altera apud Confluentes erigitur: apud quos etiam hoc à tempore Archi-Præſules noſtri ſemel quotannis ſacros Ordines conferre ſolebant. *pag. 67.* 132

Ad Montem S. Beati, amotis ab eo Canonicis, Carthuſiani vocantur, eúmque poſſident uſque in hodiernum diem. *pag. 87.* 133

Ludovicus IV. Imp. Eduardus Rex Angliæ, aliíque Germaniæ Principes in Confluentina Curia conventus crebriores inſtituunt. *pag. 118.* 133

In pegmate ſupra Confluentiam ſito, & Sedes Regia dicto, conſidentes Septemviri, literis ad Papam datis, pro Imperii Romani juribus, & in favores Ludovici mox dicti, graviter multúmque perorant. *pag. 123.* 133

Pons, qui Moſellam hìc jungit, fundamentis initiatur. *pag. 109.* 134

Carolus IV. in Sede Regia, vulgò Königſtuhl / ad Imperii clavum evehitur. *pag. 123.* 134

Confluentini contra Weſterburgicum Comi- 134

no tem prehendentes arma, infeliciter in campum procedunt. *pag. 60. 170.*

54. Boëmundus II. ad regimen Archi-Epiſcopale aſſumptus, duodecim in eo annos traducit. *pag. 35. 36.*

56. Confluentes facultate donantur, nundinas annuas à Dominica *Jubilate* uſque ad vigiliam Pentecoſtes agendi. *pag. 62.*

62. Cuno Cathedrâ Trevirenſi potitus, viginti ſex annis & tribus menſibus feliciter, & magnis in ea animis ſedet. *pag. 36.*

70. Joannes Schadland, plurium Epiſcopatuum ſucceſſivè Rector, tumulum apud Noſtros in Eccleſia Dominicanorum ſortitur. *pag. 138.*

76. Wenceslaus, Caroli IV. degener filius, in Sede Regia Rex Romanorum eligitur. *pag. 123.*

87. Bertramus Epiſcopus Theſilicenſis, & Suffraganeus Metenſis, ſepulturam, quam in Eccleſia Dominicanorum elegerat, ſub congrua pompâ reportat. *pag. 138.*

88. Cuno Trevirorum Antiſtes in Arce Welmichia mortuus, in Baſilica S. Caſtoris honorario ſepulchro mandatur. *pag. 134.*

Wernerus Cunoni ſuccedens, ter decem annis gubernacula tenet. *pag. 36. 135.*

90. Rupertus Bavarus Imp. Wenceslao, in Sede Regia exauthorato, ſufficitur. *pag. 123.*

Ad hæc circiter tempora Petrus â Confluentia vitæ ſanctimoniâ floret. *pag. 141. 142.*

18. Wernerus Archi-Epiſcopus extra Treviratum defunctus, & ad Noſtros delatus, in Caſtorenſi nunc Æde quieſcit. *pag. 135.*

Otto Werneri ſucceſſor, annis duodecim, & menſibus quatuor gregi ſuo religioſiſſimè præeſt. *pag.* 36. Ann.

Hic Judæos ex toto Treviratu proſcribit. 141
pag. 50.

Rabanus Epiſcopus Spirenſis, per Papam Eccleſiæ Trevirenſi præfectus, acto in ejus cura novennio, lictâ Treviri, Spiram revertitur. *pag.* 36. 143

Archi-Diœceſis ob ſuſcitatos contra Rabanum motus interdicto generali ſupponitur: ſub quo Confluentia morem Pontifici Romano gerens, præ Trevirorum Auguſta bonam notam prometuit. *pag.* 22. 23. 143

Confluentia parva per Comitem Virnenburgicum incendio rapiníſque fœdatur. *pag.* 177. 143

Jacobus I. Principatu potitur, eúmque ſingulari prudentiâ in annum ſeptimum ſupra decimum ornat. *pag.* 37. 143

Annuus Noſtrorum mercatus, quem tempore Paſchali celebrare conſueverant, in Septembrem reponitur. *pag.* 62. 144

Joannes à Monte, Epiſcopus Azotenſis, & Suffraganeus Trevirenſis, in Eccleſia Dominicanorum ſepulchro honorifico conditur. *pag.* 138. 144

Canonici Regulares S. Auguſtini, è Belgio huc evocati, abhinc in Inſulam inferiorem mittuntur; quam ſubinde ſacris ſuis Inſtitutis initiant. *pag.* 93. 145

Caſtorenſe Collegium Jacobi Archi-Præſulis zelo ad vitam obſervantiorem reducitur. *pag.* 78. 145

1no Qui & in Cœnobium, quod uſque huc Conventualium fuerat, Minores Obſervantes immittit. *pag.* 93.

S. Joannes Capiſtranus verbo hìc & opere claret. *pag.* 133.

56. Joannes II. votis poſtulantibus Paſtor creatus, gregi ſuo quadraginta ſex annis & octo penè menſibus ſolicitè ac utiliter præeſt. *pag.* 37.

57. Weſterburgicus Comes, quia prædo, prædonúmque receptor compertus, in conventu à Septemviris hic acto, ad promeritas pœnas damnatur. *pag.* 119.

62. Mercibus huc allatis, hícque divenditis acciſa, ùt vocant, imponitur. *pag.* 58.

Jus Stapulæ, à quibuſdam Trevericis locis ablatum, Confluentiam transferendum decernitur. *pag.* 63.

65. Henricus Kalteyſen Confluentinus, Archi-Epiſcopus Nidroſienſis & Cæſareenſis, ſepulturam, quam in Eccleſia Dominicanorum elegerat, honorificâ pompâ reportat. *pag.* 139. 143.

77. Andreas Kettwig Confluentinus, præſtantis vir ingenii, vitam cum morte commutat. *pag.* 143.

81. Ex Ehrenbreitſteiniana rupe improbo per tres annos labore fontana probata elicitur. *pag.* 181.

Kerlichianæ etiam arci initia cum profectibus dantur. *pag.* 184.

83. Ob injurias Florinenſi Collegio à civibus nonnullis illatas, hi flexis genibus veniam ab Archi-Epiſcopo petere, ac damna reſarcire jubentur. *pag.* 74. 170.

Anno

Maximilianus I. Imp. cum quatuor Septemviris, aliísque Imperii Statibus conventum hìc agit. *pag.* 120. 128. 1492

Henricus à Rivenaco, Epiſcopus Venicomponenſis & Suffraganeus Colonienſis, in Dominicanorum Eccleſia monumento potitur. *pag.* 139. 1493

Obſervantia regularis in hujate parthenone Ciſtercienſi collapſa, Archi-Epiſcopo opitulante, reſurgit. *pag.* 95. 1496

Sacræ Virgines, tertiam Regulam Franciſcanam profeſſæ, ex Valle Ehrenbreitſteiniana transferuntur in Beſslich, in earúmque locum Auguſtiniani ſubſtituuntur. *pag.* 185.

Univerſitatis Trevericæ reditus augentur duabus Præbendis, unâ nimirum ex Florinenſi, & alterâ ex Caſtorenſi Eccleſia. *pag.* 74. 79. 1499

Jacobus II. Principatum adit, tenétque in annum nonum. *pag.* 37. 1503

Qui ſuas extra terras defunctus, in Æde Florinenſi tumulo honorario conditur. *pag.* 136. 1511

Richardus Jacobo ſuccedens, in Pontificatu trigeſimum annum attingit. *pag.* 38. 51.

Judæi per Ottonem Confluentiâ pulſi, Richardo jubente, in eam reintroducuntur. *pag.* 23. 1518

Eidem Richardo, à Franciſco de Sickingen preſſo & obſeſſo, Confluentia ſuppetias mittit. *pag.* 60. 1523

Obortum in Magiſtratu diſſidium authoritate ac decretis ejuſdem Richardi componitur. *pag.* 57. 1527

Joannes III. Eccleſiæ Trevirenſi præfectus, 1531

Anno novem ipſam annis, & quatuor penè menſibus regit. *pag. 38.*

534. Conventus ab Imperii Principibus hìc actus, Epiſcopo Monaſterienſi contra rebelles auxilia ferenda decernit. *pag. 120.*

540. Joannes Ludovicus cooptatus in Præſulem, in annum ſeptimum gubernacula tenet. *pag. 38.*

543. Carolus V. Imp. ab Africana expeditione redux, per quoſdam hìc dies reſpirat. *pag. 128.*

547. Joannes IV. Pontificatu potitur, & poſt actos in eo bis quatuor annos, ac menſes decem, tumulatur in Æde S. Florini. *pag 38. 137.*

556. Succedit Joannes V. qui poſt regiminis annos decem, ac totidem menſes, ſuum ſimiliter tumulum in eadem Æde ſortitur. *ibidem.*

Ferdinandus I. cum Anna, prægnante Conjuge ſua, quoſdam hìc per dies moratur. *pag. 130.*

560. Cives ſe liberos rati, Principi obtemperare detrectant. *pag. 56. 171.*

561. Obtemperant autem, ùt Is contra ipſos copias militares adducit. *pag. 56.*

567. Jacobus III. in Eccleſia S. Florini à Capitulo Metropolitano ad Cathedram Archi-Epiſcopalem evectus, magnâ eam laude quatuordecim annis, ac menſibus duobus tenet. *pag. 39. 75.*

Sanctimoniales Auguſtinianæ Vallendariâ migrant, atque inter Noſtros domicilium figunt. *pag. 96.*

572. Quiſquis diebus his adlegebatur in civem, juramento prævio Catholicum ſe tenebatur probare. *pag. 59.*

Severus à Confluentia Carthuſianus ex odio

catholicæ fidei ab hæreticis interimitur. *pag.* 144. 145. Anno

Sanctimonialibus Ciſtercienſibus ad Inſulam inferiorem deſcendere, eámque incolere juſſis, earundem Cœnobium Patribus Societatis confertur. *pag.* 94. 104. 1580

Per quos in Gymnaſio, per Magiſtratum erecto, ſcholæ publicæ aperiuntur. *pag.* 104.

Joannes VI. renuntiatus Antiſtes, paſtorale regimen in annum decimum octavum producit. *pag.* 39. 1581

Sacræ Virgines, quæ Martinianæ dicuntur, Andernaco huc convolantes, Franciſcanis Monialibus in platea Georgiana junguntur. *pag.* 96. 1587

Lotharius Eccleſiæ Trevirenſi Rector datus, annis quatuor & viginti ſuas ei curas impendit. *pag.* 39. 40. 1599

Electores Eccleſiaſtici ſemel hìc, iterúmque convenientes in unum, inito fœdere contra Proteſtantium molimina ſuæ, ſuorúmque ſaluti proſpiciunt. *pag.* 121. 1609

Eâdem de cauſa iidem Principes tertium conventum hìc agunt. *pag.* 122. 1616.

Philippus Chriſtophorus Epiſcopus Spirenſis, honoribus Archi-Epiſcopalibus apud Treviros auctus, vitam inter eos ſupra viginti & octo annos ad quinque fere menſes ſub ſyderibus infauſtis producit. *pag.* 40. 1623.

Inſtitutum Minoritano-Capucinicum in Vallem Ehrenbreitſteinianam invehitur. *pag.* 186. 1627

Electorali ibidem palatio fundamenta ponuntur. *pag.* 183. 1628

Anno
532. Ehrenbreitſteinium, avocato Treverico milite, gallico præſidio traditur. *pag.* 172. 182.

Confluentia ob id, aliiſque de cauſis in motus prorumpens, adducto per Principem milite, ſe ſubdere ac obtemperare compellitur. *pag.* 172.

537. Vallis Ehrenbreitſteiniana incendio à Gallis vaſtatur. *pag.* 187.

Cæſareani Arcem Ehrenbreitſteinianam Gallis eripiunt, ac in Imperii ſinum reponunt. *pag.* 183.

1650. Ex qua ùt iidem Cæſareani migrant, Trevericus in eam miles immittitur. *pag.* 183.

1652. Carolus Caſparus ad ſacram Trevirorum Sedem provehitur; in qua annos viginti quatuor, & tres ferè menſes magnâ ſui nominis famâ, ſuorúmque luculentis profectibus agit. *pag.* 40.

657. Carmelitæ Diſcalceati ad plures ſuas, aliorúmque inſtantias, ſtabilem hìc locum evincunt. *pag.* 94.

670. Munimenta, quæ nunc Urbem contra hoſtes tuentur, per Carolum Caſparum ponuntur. *pag.* 108.

676. Joannes Hugo, Spirenſium Præſul, ad Cathedram Trevirenſem evehitur; qui, quia per annos triginta quatuor & ſeptem menſes benè factis eam ſemper ornavit, perenniter inde in Trevirorum memoria vivit. *pag.* 40. 41.

680. Marcus ab Aviano, Capucinæ Religionis profeſſor, ſignis hìc & concionibus claret. *pag* 133.

Pons trajectitius imponitur Rheno; cui Comes Wedanus pontem alium opponit. *pag.* 111.

688. Confluentia minor à Noſtris per ignes injectos ſubvertitur: major à Gallis obſeſſa pyrotechnicis

chnicis globis fœdatur. *pag. 78. 83. 173. 178.* *Anno*

Gymnaſium, quod nunc eſt, munificentiâ Joannis Hugonis ad Urbis perpetua emolumenta ſurrexit. *pag. 104.* 1695

Dominicani ſuum intrà Conventum ſcholas publicas Philoſophiæ ac Theologiæ candidatis aperiunt. *ibid.* 1702

Moniales Auguſtinianæ collocantur in platea Lôhrana: Hoſpitale verò hinc ad ſpatia, à quibus illæ receſſerant, transfertur. *pag. 96.* 1708

Eccleſia S. Crucis, quæ nuper juxta Vallem Ehrenbreitſteinianam ſurrexerat, Eccleſiæ Parochialis titulo juréque potitur. *pag. 185.* 1711

Carolus Epiſcopus Oſnabrugenſis, ad regimen Archi-Epiſcopale aſſumptus, quatuor annis & undecim id menſibus tenet. *pag. 41.*

Cui Franciſcus Ludovicus poſtulantibus votis ſuffectus, undecim annis omnes numeros boni Principis implet. *Ibidem.* 1716

Clauſis hoc anno Dominicanorum ſcholis, Patres Societatis Philoſophiam & Theologiam incipiunt, ac uſque modo in Hugoneo Gymnaſio prælegere pergunt. *pag. 104.*

Seminario Archi-Epiſcopali fundamenta locantur. *pag. 85.* 1723

Franciſcus Georgius, Franciſci Ludovici Succeſſor, uſque nunc præeſt, ac prodeſt, utpote continua ſeduláque ſtudia Deo, Patriæ & Imperio dicans. *pag. 42.* 1729

Qui & Nundinas annuas, per quatuordecim dies in Martio & in Auguſto hìc agendas, inſtituit. *pag. 62.* 1747

Anno Quatuor Confluentini, in diverſis Regula-
749. rium Sodalitijs ad regimen Provinciarum aſ-
ſumpti Patres, diebus his tum Rhenum & Mo-
ſellam, tum & Mœnum cum Niccaro viſitare
cernuntur. *pag.* 159. 161.

750. Caſtrum, deliciæ Schônbornianæ dictum,
authore Franciſco Georgio in campis Marianis
aſſurgit. *pag.* 184.

752. A quo & Eccleſia Aulica in formam augu-
ſtiorem redigitur, ac contra rupis tum humo-
res, tum lapſus munitur: Nobis interim hæc
noſtra munientibus & obſignantibus hoc D.
Ignatii voto.

OMNIA AD MAJOREM
DEI GLORIAM.

PERMISSIO ORDINARII.

PErmittimus Manipulum Confluentinarum memorabilium rerum imprimi Luxemburgi. Treviris die 14. Aprilis. 1753.

L.S.

J. N. AB HONTHEIM,
Episcopus Myriophitanus,
Suffraganeus Trevirensis.
M. Ppriâ.

ERRATA:

Pag. 6. *lin.* 10. facilius. *leg.* felicius. *pag.* 13. *lin.* 4. ſib. *leg.* ſibi. *pag.* 14. *lin.* 14. quin Conflnentium. *leg.* quin in Confluentium. *pag.* 36. *lin.* 26. Spirienſis. *leg.* Spirenſis. *pag.* 52. *lin.* 2. perquem verſutus. *leg.* perquamverſutus. *pag.* 69. *lin.* 25. Gremam. *leg.* Graman. *pag.* 78. *lin.* 9. Caſtornenſes. *leg.* Caſtorenſes. *pag.* 80. *lin.* 23. *poſt* Florinenſis. *addatur* inſtruimur. *pag.* 92. *lin.* 9. ſpirituali anequitiæ. *leg.* ſpiritualia nequitiæ. *pag.* 102. *lin.* 1. ad. *leg.* ab. *pag.* 118. *lin.* 30. inſtans. *leg.* intrans. *pag.* 144. *lin.* 6. ſplendorſeque. *leg.* ſplendoréſque.